TOMI I. PARS IV.

JOHANNIS GERSONIS

Academiæ Parisiensis Cancellarii,

Regii in Constantiensi Concilio Legati

Præclarum opusculum,

In Concilio Constantiensi scriptum & solenniter oblatum,

DE SIMONIA

IN CONSTANTIENSI CONCILIO ABOLENDA.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex MSCto BIBLIOTHECÆ INCLYTÆ REIPUBLICÆ NORIBERGENSIS

recensitum

ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Juliæ Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

THUANUS
Hist. lib. 137.

* * *

JOHANNES GERSON
Cancellarius Parisiensis
& famosissimus sua ætate Theologus
Caroli VI. temporibus
REGIUS AD CONCILIUM CONSTANTIENSE
ORATOR
autoritate sua & doctrinæ opinione
pervicit,
ut multa in eo
SALUTARIA AC MEMORABILIA
insererentur.
Indeq;
Re bene ad Dei gloriam & decus regni gestâ
reversus
DOCTORIS CHRISTIANISSIMI
non solum apud nos [Gallos]
sed & inter exteras nationes summo consensu
nomen meruit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Christiano Lectori
S. D.
HERMANNUS von der Hardt.

NOn ægrius Ecclesia laborasse creditur, quam *circa Concilii Constantiensis tempora.* Quod fœda & communis *morum depravatio* Concilii solennissimi remedium postularet. Cujus miseriæ publicæ oculatos testes, *Theodericum Vrie*, & *Nicolaum de Clemangiis* vidimus, plures dein contemplaturi.

Ceterum in illa scelerum publicorum inundatione, *officiorum Ecclesiasticorum artificiosa venundatio*, omnem virtutem, eruditionem, candorem, studium, ac fidem penitus submerserat, & tantum non plane extinxerat. Hinc ruditas in clero, fraudes, doli, insidiæ in officiorum sacrorum Candidatis. Utpote quibus constaret, non virtute, sed auri vi ac pondere, rem esse conficiendam.

In officio torpor, neglectus, ac contemptus sacrorum, voluptatis studium: Diligentia tædiosa, ardor invisus, zelus molestus: Otium dulcius, indulgentia commodior. Ut quam ipsi non sectarentur virtutem, aliis si non inviderent, non concederent tamen, certe ad illam non invitarent, quanto minus pertrahere studerent.

Nec mirum, cum pro episcopali benedictione atque inauguratione hæc resonarit oratio: *Gratis non accepi, quod magna pecunia episcopatum emi, neque gratis dabo. Ut effusarum impie refusionem recipiam expensarum. Ordinare te nolo in sacerdotem, nisi aureum dones. Sacramentum ordinis mihi comparavi, dum Episcopus fierem, & illud*

ejusdem ordinis signum sacrum tibi vendo. Prece & pretio mihi procuravi, rogatu atque munere tibi vendo. Si tantum non dederis, sacerdos non eris. Cujus egregiæ consecrationis characteres diluci-de pinxit *Theodericus Vrie, Hist. Conc. Const. lib.* 4. *dist.* 7. *fol.* 93. *& lib.* 3. *dist.* 2. *&* 4. *fol.* 61. *seqq.*

Quod sacrorum venalium forum advexit simul in Ecclesiam varias sordes, avaritiæ, luxuriæ, fastus. Unde & æmulationes, simultates, contentiones, longæque insidiæ, non multis annis imo vix cum vita terminandæ lites. Unde sumptuum intempestivæ profusiones, corruptioni sacratæ largitiones, exhausti privatorum & mediocriter æratorum loculi. Hoc plebis Christianæ præsidium, exitium dixerim. *Sola ducti ambitione se Prælatos ostenderunt, ut præessent, non prodessent: Ut marsupia implerent, animarum spreta salute; Ut viverent, ut vellent, non ut deberent: Ut libita prosequerentur, non licita: Omnibus scilicet inferioribus scandalum & specula malorum, & totius Christianæ religionis macula existentes.* Hæc seculi illius facies pulchella, à *Theoderico Vrie, Hist. Conc. Const. lib.* 2. *dist.* 8. *fol.* 50. scite delineata. *Bonifacii IX.* insatiabilis auri cupiditas, haud longe ante Concilii Pisani ac Constantiensis tempora, adeo non urbes, non vicos, non pagos, sed loculos quosque reconditissimos privatissimosque angellos ubique pervaserat, ut toto orbe invisum esset & falsitatis argueretur nomen Bonifacii, veriusque *malifacius* audiret. *Illius ætate, qua regnabat*, inquit Vrie f. 48. *floruit avaritia, succrevit simonia, & cetera mala.*

Theodoricus à Niem, hujus Pontificis Secretarius, in *Labyrintho*, c. 39. *Bonifacius Papa pulchræ*, inquit, *staturæ, sed vitiosi subjecti. Neque enim unquam in sede Apostolica legitur præsedisse, qui adeo publice & inverecunde Simoniæ vitium præsumeret exercere, scandalizando indifferenter, propter pecuniæ quæstum valde multos Archi-Episcopos, Episcopos, & aliorum statuum Ecclesiasticos prælatos ordinando, nec non clericos & sacerdotes, omnia vitiose faciendo, qui etiam fratres suos Marchiones & Duces ac Comites fecit, eos ultra modum ditando ac etiam exaltando.*

Luculentissime obscurissimam hanc & sordidissimam Bonifacii *artem* Simoniacam, qua totam Ecclesiam fœdabat, descripsit idem *Theodoricus à Niem in Historia Schismatis sui temporis.* Cujus paucula verba ex *MSCto Gothano* notasse juverit. *Reperit* (Bonifacius IX.) *plures bonos & legales Cardinales de suo Collegio, qui Simoniæ vitium detestabantur omnino. Quorum præ timore, dum viverent, quasi per septem annos, non audebat simoniam publice committere. Attamen per aliquos mediatores, potissime in prælatorum promotionibus, tunc clanculo exercebat eandem, intercedentibus pactis clandestinis de promotionibus per ipsum faciendis, dum tamen hujusmodi promovendi sibi aliquas florenorum summulas exhiberent. Et si illis, à quibus postulabat, pecunias illas ei non dederunt in prompto, diversas confinxit & allegavit in secreto Consistorio coram dictis Cardinalibus causas, quarum prætextu istorum promovendorum plus debito*

negotia protelabat, seu totaliter impedivit. Sic etiam dictis Cardinalibus suis sæpius illudendo. Prædictis autem Cardinalibus pro majori parte successive defunctis, quos ipse Simoniam odio habere cognovit, exhilaratus est nimium, quia tunc libertatem habebat, ipsas simonias, sicut & placuit, etiam publice exercendi. Sed demum, videlicet circa decimum annum sui regiminis, ut cautius ageret in hac parte, palliaretque dictam simoniam quam exerceret, quodam necessitatis colore primos fructus unius anni omnium Ecclesiarum cathedralium, abbatiarum, vacantium, suæ Cameræ reservavit. Itaque quicunque ex eo in Archi-Episcopum, Episcopum aut Abbatem per eum promoveri voluit, illum ante omnia oportuit solvere primos fructus Ecclesiæ seu monasterii, cui præfici volebat, etiamsi nunquam possessionem Ecclesiæ ejusdem vel monasterii consequi posset. De quo ipse Bonifacius penitus non curabat, imo sæpius dicebat; Utinam non adipiscatur possessionem ejusdem Ecclesiæ vel Monasterii, ad quam vel ad quod eum promovi. Ut iterum de alio, quem præficeret illi Ecclesiæ vel monasterio, sicque recentes pecunias extorqueret. Dicti autem primi fructus per ipsum æstimati fuerunt ad triplum illius Ecclesiæ vel monasterii, ad quod vel quam promovebatur prælatus, quam in literis Cameræ apostolicæ pro consueto servitio solvendo taxati fuerunt. Et quia non semper omnes promovendi ad hujusmodi Ecclesias vel monasteria venerunt ad curiam ejus sufficienter pecunia fulciti aut cum sacco paraci, usura in ipsius curia tempore regiminis Bonifacii in tantum invaluit, ut amplius non reputaretur peccatum fœnerare in eadem. Imo ipsæ usuræ exigebantur quandoque pœnose à debentibus coram judicibus officialibus dicti Bonifacii. Et tunc illud prophetæ: Et non deficit usura & dolus in plateis eorum, verificabatur ibidem. Sicque exigebatur pecunia Simoniace pro aliqua gratia ab ipso Pontifice obtenta ex stipulatu promissa. Et ut nihil de contingentibus ipse Pontifex omitteret, multas uniones Ecclesiarum parochialium & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum simonia intercedente fecit &c. Quas similesque centenas *artes* alias Bonifacii, *aurum emulgendi*, ex *Theoderico à Niem*, ipso hujus Pontificis secretario, infra plenius audiemus ac mirabimur.

Tertium interim testem, ejusdem ævi, hic advocabimus Bonifacianarum pessimarum artium, irreligiosa sacrorum venundatione exercitarum, *Gobelinum Personam*, qui prolixissime sordidum istud Bonifacii forum descripsit, quod sua ætate suis vidit oculis & horruit. Hic in *Cosmodromio*, Tomo I. Rerum Germanicarum Illustris Meibomii, *cap.* 84. *f.* 316. *Anno*, inquit, *Pontificatus Bonifacii primo, multi pauperes clerici curiam Romanam pro gratiis obtinendis satagebant visitare. Et cum examinabantur, modus examinandi inauditus tunc ortus exitus sinistri earundem gratiarum certum præbebat indicium. Nam ministri examinatorum, ipsis Dominis suis non insciis, ab examinandis pecuniam exegerant. Cum igitur distributio gratiarum postea facta est, omnibus impetrantibus gratias in rotulis pauperes clerici postpositi sunt, & gratiæ eorum*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pæne inutiles efficiebantur. Annis enim secundo & tertio ipse signavit multas rotulas sub data anni primi, acsi cum aliis rotulis in principio anni primi porrectæ fuissent. Nec erat discretio, quis rotulas illas emitteret, vel qui continerentur in illis. Et isti omnes gratiis pauperum in primo anno obtentis præjudicabant. Deinde successu temporis quasi omnes supplicationes sibi porrectas sub gratiis specialibus quotidie signavit. Postea multi obtinuerunt duas, tres vel quatuor gratias speciales sub data familiarium Papæ. Deinde multi obtinuerunt gratias cum clausula Anteferri. Quæ non solum præjudicabant gratiis pauperum generalibus, sed etiam gratiis specialibus. Postea vacantibus beneficiis, quæ hujusmodi gratias habentes acceptabant, alii impetrabant eadem sub data diei obitus, & datas expectatoris quascunque excluserunt. Multi etiam impetrabant gratias, in quibus Papa scripsit, motu proprio se illas concessisse, quamvis Papa personas illas, quibus hujusmodi gratias concessit, minime novit. Et sic quilibet excogitavit sibi modum, quo posset alium excludere: Nec dubium erat de signatura obtinenda, aut literarum expeditione facienda, si impetrans non defecit in pecunia expendenda. Ex prædictis inexplicabiles lites ortæ sunt, & succedentibus diversis Papæ declarationibus, vix aliquis in beneficio, per gratiam sedis Apostolicæ tunc obtento sibi securus videbatur, &c.

Longissimo *artium Bonifacianarum* catalogo pertexto, hoc tandem *Gobelinus Persona* Bonifacio ponit monumentum: *Sicut hic Bonifacius super omnes Romanos Pontifices, prædecessores suos, terreni principatus potestatem rigidius in Romanos ostendit, ita auctoritatis Apostolicæ plenitudinem, latius quam iidem prædecessores in Imperii Romani extremos fines usque distendit: Non ut aurum, quo Petrus claudum sanans caruit, se cumulare monstraret, sed ut dum vices illius gessit in terris, cui nemo dicere potest, cur id facis? auri sitim auro extingvi non posse, non solum verbo, verùm etiam exemplo confirmaret.*

Quibus ad scrinia Principum urbiumque magnarum secreta tabulasque antiquas reconditas aditus concessus, hujus generis *bullarum Bonifacianarum*, auro parando sacrarum reliquias offendent plurimas. Quod nullus indulgendo, concedendo, constituendo, immutando, revocando, redintegrando, rursusque inflectendo ac roborando, jura ac beneficia, frequentior extiterit, ne ullus auri venandi modus maneret intactus. Ex *Archivo inclytæ urbis Brunsvigæ* SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS, BRUNSVICENSIUM DUX, *herus meus clementissimus*, plura ejus generis *Bonifaciana diplomata*, Anno Papatus ejus secundo, sexto, decimo, Brunsvicensibus data, ac sigillo consveto plumbeo onerata, cum aliis gratiosissime exhibuit. Quorum nonnulla curioso lectori hic statim exhiberemus, nisi vereremur, ne hæc præfatiuncula limites præfaminis brevi libello præludentis longe excederet. Differemus igitur, donec *Theodericum à Niem* Historiam illius temporis adeoque & Bonifacianam pertexentem

xentem, ex MSCtis advehemus, cui hæc atque similia *rariora illius ætatis symbola* adjungemus.

Bonifacii hujus mores deponi per successores non poterant, auri Bonifaciani fulgore oculos successorum perstringente, qui non nisi in Bonifacio bonum & pulchrum nitidumque spectabant. *Johannes* itaque XXIII. hæc onera, à Bonifacio Ecclesiis imposita, levare religioni sibi ducebat, non onera ab aliis in se devoluturus, nisi aurea, atque illa licet gravissima. Ita quidem, ut mitior adhuc & bonus visus *Bonifacius Johanni* mox secuto *comparatus*. Ille rivos auri haustürus, hic fluvios absorpturus, fontibus etiam primis exsiccatis. Nunquam eo usque ars Simoniaca crevisse visa, quam hujus ope atque instituto. Quod ergo hic gravi & compressa utraque manu totius orbis Christiani loculos instar spongiæ premere videretur, miro artificio studium dissimulans, communis orbem clamor replevit, ut Constantiam confluerent universi, vel manus prementis atque succum sangvinemque exprimentis levaturi atque declinaturi, vel fauces obstructuri.

Didicerat *Dominus Johannes* hanc lucrosam scientiam ex Bonifacio, cujus Cubicularius, egregie hanc aurum emulgendi, aut, uti illo seculo lepide loquebantur in Ro. curia, *pecuniam exbursandi* artem exercuerat, Bonifacio eo nomine percharus. A quo præmii pro præstita fideliter hac opera numero Cardinalitiam dignitatem impetravit. Occupato tandem per insidias papatu aurique machinis, abyssum aperuit infinita auri mole non replendam. Huc omnes nervos cum intendisset, *Constantiense Concilium* hos brachiorum nervos vel frangere vel defatigare, spiritusque nimios mitigare atque minuere allaborabat. Quod factum, illo dignitate Papali exuto, inque carcerem tandem conjecto. Quorum omnium testes irrefragabiles tum *publica* sunt *Concilii Constantiensis Acta*, tum *Theodericus Vrie*, *Theodericus à Niem*, aliique illius temporis scriptores universi.

Sic erant illo tempore Archi-Simoniaci *Bonifacius* IX. & *Johannes* XXIII. qui auro æstimarent religionem omnem. Quod itaque ad perquirendas auri venas cuniculi varii parati, & his ita Ecclesia & Reipublicæ salus subruta, ut prorsus ruitura utraque videretur, nisi *Generalis Concilii Constantiensis* ope hi cuniculi obstruerentur, ac ruina præsentissima averteretur: Hæc *Simoniæ artificia* in Concilio publice spectata, ponderata, ac, ni omnibus esset pereundum Ecclesiis, solennissime damnata. Juverunt in *concilio* præsentes boni Cardinales, Episcopi ac Prælati quique cum Sigismundo ceterisque regibus ac principibus. Consilia frequentia inierunt, rem arduam, profundissimas quæ egerat radices, curate excusserunt, & quî malum tollendum sedulo expenderunt.

Ex his in celebri isthoc Concilio *de abolenda* pernitiosissima *Simoniæ labe* ceptis consiliis, curis, votis, machinis, natum præsens *Johannis Gersonii* breve sed nobile opusculum, *De simonia in Constantiensi Concilio tollenda*, ac non in cineribus sed apertis flammis,

mis, quæ totum Christianum jam invaserant orbem, extingvenda.

Ex pluribus ejusdem argumenti eodem tempore natis scriptis placuit hoc *Gersonianum*, non solùm propter *autoritatem* Viri, tum in universa Ecclesia tum ipso Concilio maximam, qui dandis consiliis plurimùm ubique valeret, verùm etiam ob *concisam brevitatem*, consulendique modestiam ac maturitatem, indeque argumentorum vim ac admirabile pondus.

Non autem ex impressis Gersonianis operibus hoc præclarum opusculum repetivimus, sed ex ANTIQUO MSCto, in INCLYTÆ REIPUBLICÆ NORIBERGENSIS BIBLIOTHECA asservato. Cujus copia facta DUCI SERENISSIMO RUDOLPHO AUGUSTO à *Generosissimo ac Perillustri Viro, Domino* CAROLO WELSERO, *ordinis sacri Noribergensis Ephoro Excellentissimo ac Protoscholarcha Magnifico*, elegantissimâ eruditione ac propensissimo in literatos affectu eminente.

Quocum svavi harmonia conspiravit *Maxime Reverendus Theologus Noribergensis, Dominus* CONRADUS FEURLINUS, *sacri ministerii Antistes Venerandus, Reipublicæ Bibliothecarius solertissimus.* Singularis in Serenissimum Ducem affectus hos movit, ut aliquot *codices MSctos*, ad Hussi & Constantiensis Concilii negotia spectantes, ex *publica Reipublicæ inclytæ Bibliotheca* liberali manu communicarent: Plura antiqua monumenta, & in his credo desideratissimam *Wallenrodianam Concilii Constantiensis historiam*, ex illustris & de republica quoq; literaria longe meritissimi *Pirckheimeri Bibliotheca*, benigne exhibituri, nisi hæc, patriâ urbe dudum relictâ, in *Angliam* navigasset, sumptibus Comitis Arundeliensis redempta, & eò transvecta. Quod olim *Noribergensis Reipublicæ* nunc *Angliæ* illustre ornamentum *Londini in Collegio Greshamensi*, pone illud Conclave, in quo Societas regia solet congregari, cum voluptate spectavit *Vir Reverendus ac Clarissimus Dn.* JOHANNES CONRADUS FEURLEIN, *in patria Norimberga in æde Parochiali Sebaldina Ecclesiasticus orator felicissimus*, cujus amicitiæ pignora jucundissima quotidie veneror.

Ceterum tanto promptius Gersonianum hocce opusculum *ex MSCto Noribergensi* depromsimus, quanto corruptius illud in impressis codicibus deprehensum, ex *MSCto hoc* elegantissime appositissimeque restituendum. Ea siquidem differentia est utriusque, ut haud exigua parte amplior sit libellus in MSCto, quàm in impressis codicibus. Ut lacunæ impressorum non felicius ac decentius quam ex laudato MSCto suppleantur. Addita quædam appendicis loco in MSCto, ex *Gersonis tractatu de oratione & ejus valore* hausta, jure misimus.

In *Capita* distingvere, *argumentis* ac *marginalibus indicibus* ornare, fas esse credidimus. Quod lectoris commodis consulere regula nostra sit perpetua.

JOHAN-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JOHANNIS GERSONIS
Academiæ Parisiensis Cancellarii
NOBILIS TRACTATUS
DE SIMONIA
In Generali Concilio Constantiensi
damnata.
EX MSCTO NORIMBERGENSI.

CAPUT I.
Quæ sit Simonia.

Sacrorũ officiorum venundatio.

Simoniaca labes, contra jus divinum, vel *de Simoniaca specie suspectum*, est conferenti beneficium Ecclesiasticum, etiamsi sit Papa, *exigere vel extorquere à beneficiando promptam pecuniam*, sub titulo primorum fructuum, ac impedire professionem & officiationem ejus, quousque solverit illam pecuniam.

Deducemus *conclusionem* hanc, primo ex septem suppositionibus. Subinde septem considerationes vel doctrinas adhibebimus.

CAPUT II.
De legitimis ac illegitimis functionum Ecclesiasticarum & salariorum generibus.

PRIMA SUPPOSITIO.
Officium sacrum & salarium optime simul consistere.

SUpponitur primo, quod in beneficio quocunq; Ecclesiastico, præsertim Canonico, aut habente curam animarum, sint hæc duo: scilicet *Beneficium & officium.*

Canonici officium, stare continuo in horis Canonicis latinis, cessantibus impedimentis rationabilibus, & intendere deinde maxime operibus, secundum qualitatem sui status. *Curati* officium est, horas solvere, secundum Ecclesiæ suæ institutionem, prædicare, confessiones audire, sacramenta ministrare, & cum omni diligentia oves suas respicere, & eas exemplo & verbo continuo instruere.

Beneficium autem, sicut dici solet & verum est, datur propter officium.

Unde ad jus & *obligationem officiandi*, competit *jus beneficium recipiendi*, sicut infra docebitur ex omni jure. Propterea non debet obligare quis ad officiandum, propter traditionem ordinis sacri, vel aliàs, nisi beneficium, id est jus recipiendi cum effectu, realiter, non nominaliter tantùm, sustentationem vitæ, simul annectat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Secunda Suppositio.

Actualem officii Ecclesiastici administrationem differre ab officio civili ratione finis.

Officium Ecclesiasticum sumitur tripliciter.

Secundo supponitur, quod *officium Ecclesiasticum* quandoque sumatur *pro jure officiandi*, quandoque *pro obligatione ad officiandum*, quandoque vero *pro ipso actu officiandi.*

Est *actus* autem hujusmodi *officiandi* sic descriptibilis: Quod sit *exercitium aliquod, impensum ad utilitatem alterius, vel aliorum, pro assecutione felicitatis æternæ & damnationis evitatione.*

Officium Ecclesiasticum & civile differunt.

Unde per hanc ultimam clausulam *differt officium Ecclesiasticum ab officio temporali vel civili*, videlicet *ratione finis* proximi seu principaliter intenti. Quoniam *finis proximus officii civilis* est felicitas seu tranquillitas politica vitæ præsentis. *Officium* autē *Ecclesiasticum habet finem altiorem*, videlicet principaliter in honorem Dei, in psalmodiis, hymnis & canticis cæterisque annexis, ad salutem animarum.

Tertia Suppositio.

Officium Ecclesiasticum esse negotium spirituale.

Fo ad officium sacrum est negotium spirituale.

Tertio supponitur, quod hæc *tria* sint *pure spiritualia:* Scilicet, *jus ad officium*, quod datur *à superiore vocante* vel *eligente.* Quia nemo sibi assumit honorem, secundum Apostolum, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aron.

Obligatio ad officiū sacrum est res spiritualis.

Similiter *obligatio ad officiandum*, quæ consurgit *ex consensu suscipientis* honorem istum.

Similiter *actus officiandi* & realiter cum effectu percipiendi fructus. Qui *actus spiritualis* est ratione finis vel objecti, &, ut frequenter, ratione ipsiusmet obsequii, sicut sunt psallere, cantare missam, Evangelium aut epistolam, vel lectiones legere, baptizare, prædicare, ordinare, celebrare missam, utpote absolvere, ministrare in divinis vel annexis, ut vinum vel aquam in ampullas &c. ad altare vel Ecclesiam sternere, & de similibus.

Actus sacra administrandi est actus spiritualis.

Quarta Suppositio.

Beneficium deberi pro officio Ecclesiastico.

Salarium pro officio Ecclesiastico est juris divini.

Quarto supponitur beneficium tanquam sufficienter & expresse determinatum, *de jure divino*, tanquam per Christum & per Apostolum, quoad *officium ecclesiasticum* sic trifarie sumptum, pro *jure*, pro *obligatione*, & pro ipso *opere* spectantibusque ad illud.

Unde *beneficium pro ipso jure* sic potest describi: *Beneficium est jus recipiendi sustentationem vitæ temporalis, condecentem ratione sui spiritualis officii.*

Obligatio autem *ad beneficium* præstandum consurgit *ex obligatione*, quæ est *ad officiandum.* Unde illi, qui pure sponte ministrant spiritualia, non semper obligantur illis quibus fit hæc ministratio, cum habeant curatos vel prælatos, ad hoc ipsum sis ministrandum obligatos. Alioquin duplici contritione vel onere premerentur.

Ceterum *actus beneficii* actui officii vel *exercitio correspondet.*

Et hoc utique *de jure divino* & inseparabili. Sicut dicit Apostolus ex radice multiplici sumpta: Nunc à lege scripturæ, nunc à lege naturæ. Unde sic ait prius: *Quis militat suis stipendiis propriis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hoc, an & lex hoc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovis triturantis. Numquid debobus cura est Deo? An propter nos hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: Quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis*

vobis spiritualia seminamus, non magnum est, si nos carnalia vestra metamus. Si alii potestatis participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus potestate hac, sed omnia sustinemus, ne offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis, quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edant, & qui altari deserviunt, cum altari participent? Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium enunciant, de Evangelio vivere. Hæc Apostolus, imo per Apostolum Dominus.

Quinta Suppositio.

Esse Simoniam, jure divino.

QVinto supponitur, quod in his, quæ sunt *Simoniaca*, *de jure divino*, & non solum quia prohibita lege humana, (ut ita loquimur more Juristarum, licet improprie multum) *Papa potest committere Simoniam*, qui *divinæ legi subjicitur*, *sicut alius*: Et *dum transgreditur illam, gravius peccat, quanto major habetur.*

Papa potest committere Simoniã.

Constat autem *prohibitum* esse *jure divino*, ut illud, quod est vere spirituale, cum suis attinentiis, non committatur emi vel vendi: Sicut de *Gehasi* & de *Simone Mago* Scriptura sacra palam tradit, & sicut Christus, ad discipulos loquens, determinat: *Gratis accepistis, gratis date. Mat.* 10. In eodem capitulo determinat quæ dicta sunt de jure beneficii respectu officii, dum ait: *Dignus est operarius lucro suo.* Et *Luc.* 10. ait: *Dignus est mercenarius mercede sua.*

Sexta Suppositio.

Et Papæ deberi beneficium pro officio suo Ecclesiastico.

SExto supponitur, quod licet *officio Papali*, ratione *juris*, & *obligationis*, & *operis* spiritualis, competat *beneficium* trifarie proportionabiliter acceptum: Nihilominus ipse *Papa non possit, quibuscunque modis voluerit, beneficium illud exigere vel extorquere.* Sed juxta legem divinam quod justum est, juste exequatur, & ab omni specie mala, sicut jubet Apostolus, semet abstineat.

Septima Suppositio.

Nec officium nec beneficium Ecclesiasticum posse vendi.

SEptimo supponitur, illud injustum esse, & tale quale nemo sibi fieri vellet, quod de beneficio, jure debito ipsi Petro vel Paulo, ipse det pecuniam, priusquam beneficio utatur, ne forte *usurarius* sit.

Sic autem est in casu *conclusionis*, cujus veritas ex his *suppositionibus* simul combinatis videtur esse sufficienter ostensa. Cujus deductionis applicationem omittimus, quia virtualiter & resolutive stat in hoc: Quod *jus suscipiendi temporalia*, quantumcunque temporale videatur, sit pure spirituale, ratione finis & objecti. Propterea *beneficium Ecclesiasticum non magis potest vendi*, quam *officium*, cui necessario annexum est. Quale tamen *officium non esse vendibile* nemo nescit.

Caput III.

OBJECTIONES

Pro Papæ immunitate à Simonia in recipiendis primis fructibus & annatis.

Prima Objectio
ab exemplo Sacerdotum V.T. quibus decimæ à Levitis datæ.

PRimo opponitur ex radice multiplici: Quod sicut ex antiqua lege *decimæ decimarum debebantur summo sacerdoti* à Levitis, *Num. XVIII.* & *Deuter. XVI.* Sic non minus in lege nova debeatur hæc *decimatio* vel sufficiens recompensatio *facienda* per inferiores *ipsi Papæ*, nisi aliàs sufficienter esset ei provisum.

Hæc autem *recompensatio* videtur esse rationabilis: Ut *fructus primi anni* à quolibet beneficiato persolvantur. Quoniam in hoc *Papa servit Ecclesiæ*, & ita *propter hoc officium* in promovendo homines, ipsi debetur *pro sustentatione decentis status sui.* Ad hoc tam *personæ* quam *beneficia possunt onerari.*

Secunda Objectio
ab exemplo Canonicorum, qui pecuniam prænumeratam accipiunt.

SEcundo, *non minus* videtur *Papam* posse recipere vel petere pecuniam à beneficiato, etiam priusquam sit in possessione, *quàm Canonici* Ecclesiæ cathedralis. Qui tamen *Canonici* de consuetudine recipiunt tam pecunias numeratas quam obligationem, ante possessionis adeptionem.

Tertia Objectio
ab exemplo Prælatorum.

TErtio, *non minus* rationabiliter imo rationabilius *potest Papa recipere primas annatas* beneficiationis, *quàm* recipiunt *prælati* inferiores, vel *Ecclesia cathedrales*, vel aliquæ *religiones.* Quod tamen ita fieri frequentius invenitur.

Quarta Objectio
à variis pensionum annuarum exemplis.

QVarto, Beneficia multa traduntur, ad firmam seu *pensionem annuam*, vel in titulo, & recipitur quandoque pars pensionis, vel compensio, priusquam sit de reditibus aliquid acceptum.

Quinta Objectio
à probabiliter bona consuetudine longa Ecclesiæ.

QVinto: Quia non est probabile quod *per tot tempora* tolerasset Ecclesia *in promovendis & promotis* talem *exactionem pecuniarum*, si fuisset *Simoniaca*, de jure divino. Quia non solum qui *faciunt* mala, sed qui *consentiunt* facientibus, secundum Apostolum digni sunt morte.

Sexta Objectio
ab indignorum Ecclesiasticorum multitudine alias incredibili.

SExto videtur ex his sequi, quod *horribilis res* fuisset hactenus *in Ecclesia Dei*, propter defectum tituli, sive juris in beneficiis, & consequenter in defectu administrationis sacramentorum per populos, propter defectum vel suspensionem Ecclesiasticæ potestatis in ministris.

Septima Objectio.
à defectu remedii jam reliqui.

SEptimo: Qualiter provideretur sic promotis à Papa, vel altero, promittente, vel simoniam committente?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caput IV.
RESPONSIONES
ad superiores objectiones.

Solutio primi dubii, petiti â decimis Levitarum V.T.

REspondendo talibus objectis, dicimus primò, quod inferant & concludant aliquas veritates ceteris paribus. Ut, quod *officio Papæ debeatur beneficium* sufficiens & condecens: Et, quod ab *inferioribus ipsi debeatur subsidium*: Et, quod illud subsidium possit vel potuerit, debitis circumstantiis observatis, accipi, super fructibus inferiorum beneficiorum, ubi non est aliter facta Papæ sufficiens provisio. Sicut prima ratio satis hoc concludit, tam *ex jure divino* quam *naturali*, præsupposito dominio. Sed quod fiat *exactio* vel extorsio, sicut conclusio argumenti loquitur, ratio non concludit.

Beneficiũ pro officio Papæ debetur.

Papa ab inferioribus potest petere subsidiũ.

Non extorqueat beneficiũ.

Secunda Responsio,
quoad exemplum Canonicorum.

SEcunda responsio ad secundam rationem, quæ videtur *de Canonicis* concludere. Responsio: Quod *lata* sit *differentia*. Quoniam tales pecuniæ non debent exigi à canonicis pro beneficiis & officio, & antequam fructus perceperunt, in primo introitu aut in primo anno, sed longe post, & pro communibus oneribus supportandis, in quibus canonicus fuit particeps quoad emolumenta canonica. Sicut pro fabrica, seu pauperibus pro pane, pro pueris de choro, pro clientibus, pro ornamentis & similibus. Sicut & ceteri confratres faciunt.

Canonici quo jure præoccupent beneficia.

Non negamus tamen, quod apud aliquos *modus exigendi* non sit usquequaq; purus & decens, licet non simoniacus. Et heu hodie in multis locis militantes Ecclesiæ, sive beneficia earum, duplici pœna mulctantur. Nam apud Collatores exactionati sunt, & apud confratres & socios denuo exactionantur. Et quis non videat hanc iniquitatem? Ideo potest dici ad argumentum, quod *dolositas vulpis per lupi rapacitatem non excusetur*. Non enim sequitur: Superior me male agit, ideo ego ab illo excusari possum. Non omne enim, quod coloratam habet rationem veri, verum est. Aliàs vitium sæpe virtus esset,

Abusus Canonicorum.

Tertia Responsio,
ad exemplum Prælatorum.

TErtia ratio denique concludit conformiter ad primam. Deberet ergo esse simul conformitas *de non exigendo* fructus ante perceptionem illorum: Sicut nec exigi deberent ab illis, de quibus est argumentum. Nec sequitur: Inferiores prælati, aut Ecclesiæ cathedrales seu collegiatæ, agunt non facienda, ergo Papæ hoc liceat. Ideo adhuc in recte agentibus non sequeretur omnimode. Vide etiam in secunda responsione.

Quod autem *non recte agant cathedrales*, ostendunt fructus operum eorum. Hujusmodi enim *solutiones in introitu beneficiorum* talium excluserunt pauperes & doctos viros atque timoratos. Pauperes, quia non habent, docti & timorati, quia sentiunt periculum simoniæ in talibus latere, abstinent se ab introitu talium beneficiorum. Ideo replentur Ecclesiæ malis, scurris, divitibus, qui non curant salutem animæ, sed solum ut ditentur & in honore habeantur. Sed quis fructus eorum, nisi *omnis disciplinæ scholasticæ dejectio*, & Ecclesiarum depauperatio, et ut multa paucis perstringam, omnis honestatis & puritatis abolitio. Qui hoc non videt, numquid cœcus est cœcitate malitiæ?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quarta Solutio,
quoad pensionum annuarum exempla.

DEinde possumus de quarta sicut de secunda ratione dicere & similiter de sequentibus quoad hoc: Quod valde multa, proh dolor! fiant & facta sint *habentia malam speciem turpis quæstus*, & in multis *simoniacam* pravitatem. Sicut & alia *vitia regnare* videmus passim apud homines, & multo plus *apud clericos*. Intime intravit Ecclesiam multitudo malorum & indignorum, ut boni, licet sint paucissimi, quodammodo nesciantur. Recessit enim à clero omnis lex, omnis veritas, omnis verecundia, ita ut hæc audeant, quæ etiam latrones & similes horrent. Isti tamen fœdera inter se illæsa servant, pacem, quam spondent, tenent, promissa implent. Illi verò nec fœdera nec fidem, nec pacem venerantur: Sed quicquid libet, licet. Propterea dicit lex antiqua: Non insequeris multitudinem ad faciendum mala. Hoc est enim argumentum multorum: Hoc mihi est licitum, quia major pars hominum aut majores faciunt. Quoniam oppositum consequentis frequenter & quasi semper stat cum antecedente.

Turpis quæstus species.

Vitia cleri.

Quinti Dubii Solutio,
De longa Ecclesiæ consvetudine.

PEr hoc respondetur ad quintam rationem, addendo, quod apud *bonos* & *conscientiosos* & *eruditos*, quos non excœcavit malitia, vel superbiæ, vel adulationis, vel avaritiæ, talis *simoniaca pestis* reprobata est per prædicationes & doctrinas, verbis & scriptis. Et *novissime per HOC SACRUM CONCILIUM CONSTANTIENSE* judiciali severitate damnata fuit *in capite*.

Boni, conscientiosi & eruditi, simoniam semper improbarunt.

Concilium Const. Simoniam publice damnavit in Pontifice Johanne XXIII.

Ad Sextum Dubium Responsio,
de periculo, nullum Ecclesiasticum à Simonia posse excusari.

AD sextam denique per præmissa patet responsio aliqualis, addendo, quod aliqui, etsi non omnes, non potuerint habere verum titulum in suis beneficiis & verum ordinem, sicut constat: Et hoc propter excusationes aliquas probabiles apud aliquos tam prælatos quam subditos. Subditos enim excusare potuit ignorantia juris & facti. In quibus vero Papa & supremus Dominus, Christus, supplevit & supplet in talibus defectum prælatorum, stante bona fide subditorum. Velut tempore legis antiquæ multi boni sub malis Pontificibus & Regibus legem inviolate ad complementum, nempe Christum, produxerunt. Non minus hoc fiet, haud dubium, usque ad consummationem seculi, & melius quam tunc, juxta sponsionem Domini: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, scilicet cum bonis.

Septima Responsio Ad Dubium,
de defectu Remedii.

RUrsus promotos per *Simoniacam* hanc *exactionem* potuit fortasse excusare respectus *redemptionis propriæ vexationis*. Dico, *fortasse*. Timendum est enim, majorem partem illum respectum non habuisse, ut claret, sed paucissimos, ex spiritu sancto vocatos. Quemadmodum in simili theologi dicunt, quod, si sacerdos nollet baptizare puerum, positum in articulo mortis, nisi pecuniâ præaccepta, nec appareat alius potens vel sciens baptizare, propter defectum aquæ vel inunctionis, parentes possint dare pecuniam: Non quidem intentione emendi baptismum, sed *redimendi vexationem* suam & puero providendi: Nec per hoc dicendi sint consentire peccato simoniæ hujusmodi curati. Sicut in materia de usuris, potest aliquid accipi per usuram in casibus certis, quamvis alteri nullo modo liceat dare.

De redimenda vexa in clero.

Redemtio vexationis, à Simonia potest quodammodo excusare.

Unde

Redemptio vexationis ubi habeat locum in sacris.

Unde *redemptio vexationis* videtur habere locum, non quidem in acquirendo jus novum, ad officium vel beneficium hujusmodi spirituale, præsertim apud conferentes, sed videtur habere locum, *dum tolli quæritur impedimentum quod opponitur*, ne quis jure suo, vel re sua pacifice potiatur vel utatur.

Sic fortassis *excusabiles* essent *subditi* respectu curatorum vel prælatorum, dum compelluntur pecuniam ante tradere, quam res spirituales, eis debite uti permittantur aut eis conferantur. Sicut in exemplo priori de baptismo parvulorum, de sepulturis, de ministratione corporis Christi, de absolutione sacramentali, de collatione ordinum minorum & similium. Non autem illorum, Ecclesias cathedralium aut Collegiatarum intrantium. Nam hoc obstat, quod sunt pro futuro manus tenentes cum aliis hanc prævaricationem, si non animo, tamen exteriori coexistentia. Nec prædicti leves esse debent, nec affectate aut negligenter allegantes redemptionem vexationis. Sed oportet, cetera sint paria, videlicet recta sit intentio, quod fecerit omnem diligentiam, ad evitandam speciem mali.

CAPUT V.

De Variis Simoniæ conditionibus, gradibus, & effectibus, nec non remediis.

PRIMA CONSIDERATIO.

De Papæ Simonia.

Simonia per se non est hæresis. Papa per Simoniā non desinit esse Papa. Simoniacus ex depravato affectu. Simoniacus ex depravato intellectu. Simoniacus omnis de fide suspectus. Papa positivis suis legibus de Simonia non obligatur.

Simoniaca labes sicut *per se non est hæresis*, sic non aufert à papa necessario suam potestatem vel Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem, imo nec executionem.

Prima pars ideo manifesta est, quia stat, aliquem esse *Simoniacum* ex sola *depravatione affectus*, per avaritiam, remanente judicio recto intellectus, quod sic agere peccatum sit. Non est autem hæresis, quia fit sine *depravatione intellectus*, per errorem in his, quæ recta fides tradit. Nihilominus præsumptione juris, vel operis, *simoniacus omnis haberi potest in fide suspectus.*

Patet altera pars: Quoniam *positivis legibus suis non est papa subjectus*, ut tales sunt. Quod autem *Simoniacus* suspendatur ab omni exercitio, tanquam *excommunicatus* ipso facto, positivum est, quod non ligat papam, cum par in parem non habeat imperium. Cum præterea sit hoc modo solutus legibus, intellige pure positivis pœnalibus, ut supra jus hoc modo sumptum. Sic intelligenda est distinctio Juristarum, dum dicunt, aliquid esse simoniacum, *quia prohibitum est*, in illo casu non posse papam committere simoniam. Sed quid dicetur ad illud dictum sanctorum doctorum: *Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Numquid sequeretur, Papam singula acta Simoniaca agere, qui filios fecit Simoniacos, ipsum non? Qualis hæc dementia sit, videat quis velit. Plane *nulla* est *simonia, nisi quia prohibita jure divino*, ubi scilicet convenit *contractus* iste rerum spiritualium pro re commensurabili numismate, *do si des*, vel *do ut des.*

Simonia jure divino prohibita.

Nihilominus apponitur aliquibus contractibus, non de se simoniacis, *pœna* simoniæ. Ubi necessarium est, quod hoc ideo dicatur *simoniacum, quia lege humana prohibitum.* Sicut aliquis punitur tanquam hæreticus, præsumptione juris positivi vel operis, qui veraciter est Catholicus, & rectus Christianus. Simpliciter autem nihil fit de novo simoniacum, quod ante non fuit, nisi per metonymiam dictum, sive quod pœna Simoniæ adhibeatur. Ideo distinctio Juristarum vana, *quia prohibita*, occasionem præbens ad faciendum quæque enormia ipsis summis Pontificibus & ceteris prælatis.

Do ut des.

Con-

Consideratio Secunda.

De Promotis â Papa per Simoniam.

Simoniaca labes in Papa, conferendo prælaturam vel beneficium, *non tollit* necessario *jus ad beneficium*, neque potestatis Ecclesiasticæ suspendit executionem.

Hæc consideratio sequitur ex antecedente. Quoniam potest papa velle taliter promotum non incurrere sententias juris positivi, ubi etiam veram simoniam committeret, consentiendo simoniacæ promotioni suæ, quamvis apud Deum non evaderet omnem pœnam.

Patet aliunde consideratio, juxta ea quæ dicta sunt circa sextam objectionem, de *redemptione vexationis*, vel etiam ubi bona fides & semiplena in promoto esset ipsamque salvaret, remota omni vexatione iniqua aut affectata, aliis dignioribus præjudicante. Nulla enim res absque circumstantiarum suarum consideratione & observantiis enuncianda est. Aliàs multa falsa vera apparerent, & è contra. In quibus Juristæ non modicum exorbitant & multi dicti Theologici & superficiales, affectione seducti aut ignorantia.

De religiosæ vexationis redemptione.

Consideratio Tertia.

De promotis à Prælatis per Simoniam.

Simoniaca labes periculosior est, etsi non quoad Deum tamen quoad forum Ecclesiasticum, *in promotis per prælatos* inferiores, *quam per papam.*

Hoc perspicuum est in præcedenti consideratione. Attento, quod omnis *simoniacus ipso jure excommunicatus est*, cum reliquis pœnis, à quibus non absolvitur per ordinarium, quemadmodum de papa tactum.

Consideratio Quarta.

De mala Simoniæ specie quoque cavenda.

Simoniaca labes, quamvis posset excusari, vel non inveniri circa receptionem pecuniarum, vel eorum, quæ sunt numismate mensurabilia, quemadmodum sunt obsequia vel favores & obligatoriæ promissiones circa spiritualium administrationem in literis testimonialibus conferendis, & similibus: Nihilominus expedit ut in his observetur, quod apostolica regula jubet, quantum fieri potest: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Posset de prima parte deductio fieri per plurima, circa diversos ordines & status, circa religiosos conventus & seculares ecclesias, circa prælatos & officiarios suos, circa curatos & eorum vicarios & subditos. Fiunt itaque plurima per tales hujusmodi quæ rectam habere possunt intentionem, licet *modus faciendi* scandalizet. Ut quod videtur fieri pactio de temporalibus, vel negatio spiritualium, seu dilata propter temporalia spiritualium collatio, exercitium vel frequentatio, ut in missis dicendis, ut in horis lucrosis non aliàs frequentandis.

Caveatur igitur hæc *multiplex mali species* per *boni speciem* oppositam, quantum fieri dabitur. Quia non est nostrum posse scandalis omnibus acceptis occurrere: Solum caveatur *affectata ignorantia*, vel *passio seducens.*

Consideratio Quinta.

De Simoniæ correctione per mentis atque intentionis emendationem.

Simoniaca labes commodius evitari potest per *rectificationem intentionis.* Desiderando scilicet sive accipiendo temporalia, non ut sunt præmium spiritualium, vel cupiditatis nutrimentum, sed necessariæ sustentationis corporalis adjumentum. Sic itaque salvabitur, illic non esse *commutationem*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tionem simoniacam, ubi cum hoc concurrit, *do si des*, vel *do ut des*.

Quin hæ dictiones conditionales & causales, *si*, & *propter*, & similes, ideo non notabunt causam principalem, seu consecutivam, sed minus principalem seu motivam, seu adminiculativam seu meritoriam. Ut ibi: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes propter retributionem.* Quæ utique retributio referebatur ad Deum per prophetam, sicut finis sub fine. Ubi autem unum propter aliud, sicut dicit philosophus, utrobique unum. Veruntamen, ut sæpe est præmissum, hæc & hujusmodi relatio debet stare cum veritate non ficta, nec colorata, ne incidat in manum Dei viventis. Quia nullum dolosum dimittitur impunitum.

Consideratio Sexta.

De remedio in Concilio Constantiensi quæsito pro absolvendis Simoniacis dudum factis.

Simoniaca labes potest quoad *præterita* suscipere provisionem & *medelam* per *HOC SACRUM CONCILIUM*, propter serenationem conscientiarum & animarum salutem. Taliter ut aboleantur *edicto generali* quælibet pœnæ vel sententiæ juris positivi contra simoniacos editæ, cum habilitatibus ad beneficia jam obtenta: Dando licentiam insuper *pro præterito*, ut quilibet possit eligere confessorem idoneum, qui eú super scrupulis & dubiis in foro conscientiæ absolvat.

Medela Simoniacorum larga.

Videtur fortasse hæc *provisio nimis lata* vel *laxa*, juxta severitatem ecclesiasticæ disciplinæ. Sed habeatur respectus ad immensitatem misericordiæ Dei & humanam fragilitatem, quæ mallet sæpe saluti propriæ quam beneficio vel statui renunciare.

Tolerabilis apparet ista *provisio*. Aut si de necessitate puniendi sunt aliqui, *nimis notorie scandalosi*: Nihilominus de salute communitatis atq; plurimorum & hæc intelligenda sunt omnia, *salva restitutione debita*. Nam si quis simoniace beneficium obtinuit, & justiorem habentem titulum repulerit aut impediverit, aut quacunque iniqua occasione viam repellendi dederit, quis ipsum rehabilitare aut absolvere poterit, *nisi restitutionem fecerit*? juxta illud S. Augustini: *Peccatum non dimittitur nisi restituatur oblatum.* Et per consequens minus potest secum dispensare. Cum omnis dispensatio justam & legitimam debeat habere causam. Aliàs coram Deo non excusat, licet plerumque apud homines.

Tolerabilis.

Restitutio præcedat Simoniaci absolutionem.

Consideratio Septima.

De præservatione in Concilio Constantiensi quæsita contra Simoniam.

Simoniaca labes poterit *pro futuro præservationem* habere. Cogitetur per Hoc Sacrum Concilium, ne passim & licenter, ut hactenus, introeat consvetudo; Leges datas vel jam institutas renovando, mutando vel interpretando, circa collationem omnium spiritualium, tam à capite quàm à membris, cum moderamine, quod nec fiat *strictior prohibitio* temporalium, quam oportet, in capite vel in membro, sicut factum esse pluries existimant in quibusdam: Nec rursus permittatur talis *laxatio*, quæ vel veram simoniam, vel scandalosam simoniæ speciem introducat. Hæc autem particulariter commissa sunt.

Leges renovandæ, mutandæ.

Temporalia non nimis stricte prohibenda Ecclesiasticis.

Nec nimis laxanda.

Ceterum *generale concilium* in qua potestate possit leges hujusmodi præscribere, præsertim summo Pontifici sine læsione plenitudinis suæ potestatis, utilis est petitio: De qua, si annuerit DEUS, aliàs & alibi videbitur, concordando *plenitudinem potestatis papalis*, cum ipsa *plenitudine potestatis sacri concilii*.

De autoritate Concilii generalis in præscribendis ipsi Pontifici legibus.

Caput VI.

De commoda Simoniæ & simoniacorum reformatione.

AD rationabilem *contra Simoniam & Simoniacos reformationem* offeruntur propositiones sequentes. Quarum declaratio tam scriptis jam editis quam viva voce poterit apparere.

Quis Simoniacus in foro conscientiæ.

I. *Finis principaliter intentus*, recipiendi temporalia pro ministratione spiritualium, reddit hominem proprie *simoniacum in foro conscientiæ*, & quo ad Deum. Et si hanc *intentionem* apertis ad extra monstret indiciis, censendus est *in Ecclesiastico foro simoniacus*, vel de simonia vehementer suspectus.

In foro Ecclesiastico.

II. Finis principaliter intentus accipiendi temporalia pro administratione spiritualium, tanquam ibi sit *adæquatio vera pretii ad pretium*, sicut est in commutatione temporalium ad invicem, reddit hominem proprie *simoniacum.*

Simoniaci aliud genus.

Quis simoniacus sit hæreticus.

III. Finis principaliter intentus, ut prius, reddit hominem *hæreticum.* Nisi faciat hoc *ex depravato intellectus judicio*, quasi tale aliquid possit de facto, aut debeat de jure fieri, & hoc, *si pertinacia non comitetur.*

Salarium sit secundarius scopus Ecclesiastici.

IV. Obligatus ministrare spiritualia, sicut sunt sacramenta & beneficia Ecclesiastica, potest rationabiliter & licite habere *respectum ad temporale commodum*, mercedem & præmium, quamvis minus principale & *secundarium*, remotâ sollicitudine aut occasione dolosa aut similis conditionis malæ speciei.

Ecclesiastici quodnam jus in recipiendis temporalibus.

V. Obligatus ministrare spiritualia, & ministrans ea, habet *verum jus & potestatem recipiendi temporalia*, absque hoc, quod mendicet ea, vel sollicitet inverecunde. Et sub *hac intentione*, licet *minus principali*, potest vel potuit obligare se ad ministrandum spiritualia, & *pro mercede* vel *stipendio*, vel *cibo* & *sustentatione* recipere temporalia. Sicut exemplificari posset in omni statu Ecclesiasticorum, tam secularium, quam religiosorum, à majoribus ad infimos, remotis omni dolo & fraude sinistraque intentione.

Legitimi salarii desiderium non facit Simoniacum.

VI. Obligatus ministrare spiritualia, & ministrans ea sub spe vel expectatione vel intentione, ut recipiat temporalia, *pro sustentatione ministerii & mercede vel cibo operarii*, non ideo convincitur simoniacus, sicut nec ille, qui dat temporalia sub spe recipiendi spiritualia. Imo staret, quod peccaret non tradendo ea, sicut, in casu, ministrans *peccare posset abjiciendo* vel reprobando talia dona, seu potius mercedem & *stipendia*, servatis tamen conditionibus & limitationibus supradictis.

Ordinarium stipendium non rejiciendum.

VII. Ecclesiasticus ministrans, ex debito suæ prælationis vel officii, baptisma, confirmationem, eucharistiam, confessiones, ordines, extremam unctionem, & sepulturam, & ita de reliquis spiritualibus, non ideo convincitur simoniacus, si *ante* vel *post* ministrationem recipiat temporalia ab illis, quibus ministrat spiritualia, scilicet *sponte sibi data*, non extorta per pactum vel aliàs.

Pro actibus ministerii quomodo clerus possit accipere munera.

VIII. Ecclesiasticus officians ex debito beneficii sui, sicut frequentando horas canonicas, aut exequias mortuorum, non ideo convincitur simoniacus, si recipiat aut recipere intendat *distributiones temporales, assignatas* illis, qui talibus assistunt officiis: Etiam dum aliquando sub hac intentione mercedis vadit ad aliquod officium Ecclesiasticum, aliter pro nunc non iturus. Exempli gratia, si cuilibet etiam religioso, qui interesset magnæ missæ *in Ecclesia Constantiensi*, quotidie tribueretur unus florenus, constat, quod multi interessent, qui modo non interssunt, nec alias interessent, nec ideo simoniaci essent judicandi, servatis conditionibus sæpe dictis.

Distributa munera potest etiam Ecclesiastico admittere.

IX. Ec-

Conferens officium Ecclesiast. certa potest accipere munera.

IX. Ecclesiasticus *Prælatus* aut *alius, conferens beneficia Ecclesiastica*, non ideo convincitur simoniacus, si recipiat à beneficiatis aliqua temporalia sub conditionibus dictis.

Simonia nimium restricta non tollitur.

X. *Extirpatio simoniacæ pravitatis* non ita debet procurari, ut ducantur homines in majora pericula & scandala *per nimiam simoniæ restrictionem*, ubi non est, vel non potest esse simoniacus, *si habeatur intentionis vera directio.* Nec ita, ut Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum dotatio, debita jure divino, evacuetur vel fraudetur sub hoc *reformationis prætextu* veluti dæmonio meridiano.

Dos Ecclesiæ aut Ecclesiasticorum non minuenda simoniæ reformandæ prætextu.

XI. *Extirpatio simoniæ primo facienda est cordibus hominum*, ostendendo qualiter in corde vel intentione simoniaca pravitas committatur, & qualis debeat haberi *cordis intentio*, dum in ministratione spiritualium fit temporalium receptio.

Ex cordibus simoniæ primum extirpanda.

XII. *Extirpatio simoniæ* ab Ecclesia sancta Dei *in capite & in membris* salubrius facienda est, *inducendo homines ad timorem Dei*, & ad custodiam mandatorum suorum secundum legem Evangelicam, quàm per solam *jurium pœnalium constitutionem.* Quorum multiplicatio forsitan magis esset restringenda, quam augenda. Multi enim reputant vel puniunt tanquam simoniaca, quæ simoniæ rationem proprie non includunt, & ita faciunt viam Domini arctam magis, quam oportet. Sicut multi Theologi & devotarii, habentes conscientias nimis strictas præter rationem.

Timor Dei optimum Simoniæ remedium.

Simoniaca interdum plectuntur quæ Simoniaca non sunt.

XIII. Inter omnes modos jam dictos melior esset, *ut tantum digni ad Ecclesiastica beneficia promoverentur*, electi ex multis in moribus & scientia, & sufficienti ætate, ut per antiqua Patrum decreta est statutum. Illi enim habentes Deum præ oculis, non se submitterent periculis Simoniæ. Sic nec modo tales faciunt. Et cum *omnes quasi Ecclesiæ sint maculatæ iniquis statutis & consuetudinibus Simoniacis*, aut speciem Simoniæ prætendentibus: Constat modo quasi nullum timoratum in eis inveniri. Sed replentur scurris, indoctis & detestabilibus personis, legem Dei & illam venerantes animo despicientibus, imo persequentibus & repellentibus. Et *nisi fiet purgatio talium ab Ecclesia, non erit spes reformationis unquam.* Ut est videre in ægritudine, nisi morbus expellatur, non est spes sanitatis ejus.

Digni ad officia sacra promovendi.

CAPUT VII.

Succincta repetitio doctrinæ superioris de Simonia.

Quatuor fines temporalia pro spiritualibus accipiendi.

PONitur ad *declarationem præmissorum* pro nunc, aliàs posita hæc *unica distinctio.* Resolvendo *materiam de simonia* possumus invenire *distinctionem quadruplicem* de intuitu vel respectu *commodi temporalis pro spirituali.*

Ut pretium emtionis.

Potest enim *intuitus* ferri *ad temporale commodum*, primo tanquam ad *pretium rei spiritualis*: Quasi sit adæquatio valoris unius rei ad alteram, sicut est in emtione & venditione civilibus.

Ut finis primario.

Potest secundo ferri intuitus ad commodum temporale *tanquam ad motivum principale* dandi spiritualia, vel ad finem ultimum, in quo consistit intuitus spirituale conferentis.

Ut finis secundario.

Potest tertio ferri intuitus commodi temporalis *ad motivum minus principale*, vel ad finem subordinatum sub ultimo fine.

Ut sustentationis necessarium præsidium.

Potest quarto ferri intuitus commodi temporalis *tanquam ad rem debitam jure divino pro sustentatione* illius, qui spiritualia subministrat, juxta doctrinam Christi & Apostoli, quod *dignus est operarius mercede sua.*

Duo primi scopi simoniaci.

Tunc ad propositum dicimus pro *responsione succincta & solida*, quod *primus* intuitus & *secundus* sint *vere simoniaci*, de jure divino & humano. Et, si concurrat error intellectus, quod scilicet talia possint fieri, sicut in primo dicitur, vel quod licite faciant, sicut

Corruptũ judicium in simonia cum pertinacia, facit hæresin.

Duo postremi scopi non pariunt Simoniam.

sicut ponitur in utroque modo, tunc incurritur *hæresin* proprie dictam, & habendi sunt *tales simoniaci veri hæretici* & proprie dicti, *si sint pertinaces.*

Dicimus consequenter, quod si feratur intuitus *tertio* vel *quarto* modis ille potest esse licitus, cum suis moderationibus, ut in propositionibus ac considerationibus dictum est, imo laudabilis & merito ius ac debitus. Hoc tamen attento, ut observetur illud Apostoli: *Ab omni specie mali abstinete vos.* Hoc est, administratio spiritualium facta sub altero tali intuitu, non apparet fieri ex modo suo, sed ex intuitu primo vel secundo. Ut, si non exerceantur spiritualia, si non primo dentur temporalia, aut si non turpiter exigantur, & cum scandalo, & avaritiæ nota. In quibus casibus possent haberi *suspecti de simoniaca pravitate* sic agentes, & hoc *præsumptione juris vel facti*, & possent in hoc casu ipsi, tanquam *tales judicantes*, evocari, Christi consilio.

Species mali cavenda.

INDEX CAPITUM
OPERIS GERSONIANI.

Caput I.
Quæ sit Simonia.

Cap. II.
De legitimis ac illegitimis functionum Ecclesiasticarum & salariorum generibus.

Suppositio I.
Officium sacrum & salarium optime simul consistere.

Supp. II.
Actualem officii sacri administrationem differre ab officio civili, ratione finis.

Supp. III.
Officium Ecclesiasticum esse negotium spirituale.

Supp. IV.
Beneficium deberi pro officio Ecclesiastico.

Supp. V.
Esse simoniam, jure divino.

Supp. VI.
Et Papæ deberi beneficium pro officio suo Ecclesiastico.

Supp. VII.
Nec officium nec beneficium Ecclesiasticum posse vendi.

Cap. III.
Objectiones, pro Papæ immunitate à Simonia in recipiendis primis fructibus & annatis.

Objectio I.
Ab exemplo Sacerdotum V. T. quibus decimæ decimarum à Levitis datæ.

Obj. II.
Ab exemplo Canonicorum, qui pecuniam prænumeratam accipiant.

Obj. III.
Ab exemplo Prælatorum.

Obj. IV.
A variis pensionum annuarum exemplis.

Obj. V.
A probabiliter bona longa Ecclesiæ consvetudine.

Obj. VI.
Ab indignorum Ecclesiasticorum incredibili aliàs multitudine.

Obj. VII.
A defectu remedii jam reliqui.

Cap. IV.
Responsiones ad objectiones superiores.

Solutio Primi dubii, petiti à decimis Levitarum V. T.

Resp. II.
Ad exemplum Canonicorum.

Resp. III.
Ad exemplum Prælatorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Reſp. IV.
Ad penſionum annuarum exempla.
Reſp. V.
Ad longam Eccleſiæ conſvetudinem.
Reſp. VI.
Ad periculum, nullum Eccleſiaſticum à Simonia poſſe excuſari.
Reſp. VII.
Ad querelam de defectu remedii.

Cap. V.

De variis Simoniæ conditionibus, gradibus, effectibus, nec non remediis.

Conſideratio I.
De papæ Simonia.
Conſ. II.
De promotis à Papa per Simoniam.
Conſ. III.
De promotis à Prælatis per Simoniam.
Conſ. IV.
De mala quoque Simoniæ ſpecie cavenda.
Conſ. V.
De Simoniæ correctione, per mentis atque intentionis emendationem.
Conſ. VI.
De remedio *in Concilio Conſtantienſi* quæſito, pro abſolvendis ſimoniacis dudum factis.
Conſ. VII.
De præſervatione contra Simoniam, *in Concilio Conſtantienſi* quæſita.

Cap. VI.

De commoda Simoniæ & Simoniacorum reformatione.

Cap. VII.

Succincta repetitio doctrinæ ſuperioris de Simonia.

VITA

VITA
JOHANNIS GERSONIS,
Academiæ Parisiensis Cancellarii, Regii in Constantiensi Concilio Legati.

QUi ex virtute literaria ac religionis zelo parem cum Rege suo *Christianissimi* characterem est indeptus, immortale posteris & raræ eruditionis & ardentis pietatis reliquit exemplum.

Gallia ortum dedit, Gallia virtutem docuit, Gallia honores conciliavit, sed & Gallia eum dignitate tandem omni iterum exuit, nec vitam longiorem concessura, nisi divina manus cavisset.

Natus Gerson in *Campania* (*a*), in vico cognomine (*b*), diœceseos Remensis, parentibus usus *Arnulpho Charlierio Gersono* ac *Elisabetha* (*c*). Cui igitur ex patre *Johannis Charlierii* aut *Carlerii* nomen erat, ex patria quoque cognomen *Gersonis* tandem impetravit. Ex quo *nomine* solatium sæpe quæsivit, postquam variis vitæ turbinibus jactatus, sibi in hac vita commorandi spatium nullum datum, sed *peregrini* se uti jure meminit, alludens ad nomen in gente Judaica celebre, *Gersom* aut *Gerson*, *Exod.* 2, 22. *Num.* 3, 17. Ita opusculum suum, quod inscripsit *Testamentum peregrini*, sic est orsus: *Patria.* *Parentes.* *Nomen.*

Gratia cui nomen confert insigne *Johannes*,
Advena cognomen *Gerson* habere dedit.

Et in epistola ad fratrem, data Constantiæ 1416. Cal. Jan.

Gratia nomen ei, cognomen & *advena* fecit.

Videtur autem in Academia Parisiensi hic ejus character primum invaluisse, sive à Professorum arbitrio sive Commilitonum consvetudine. Illis quippe seculis character ex patria derivatus proprium familiæ nomen, si quod etiam esset, in doctorum cœtu plerumque extingvebat. Ita *Johannes de Gerson*, aut absolute *Gerson*, toto jam fertur orbe.

Familiam si non invenit in parentibus claram, literis insignem, ipse tandem sua virtute reddidit spectabilem, indeptus quoque in fratribus fortunam literis aptam.

Parens

(*a*) Quod in *Epitaphio Gersonis* ab obitu ejus notatum his verbis:
Hunc Campanus ager Gallus dat.

(*b*) Hoc memorant Scriptores plerique. Quod si verum, parens ejus etiam in illo oppido fuerit natus, cui Gerson noster idem nomen tribuit, Patri, inquit, *Gerson origo fuit.*

(*c*) Parentes hos suos ipse notavit Gerson, ita canens:
Nostri sint generis quæ monumenta, vides.
Arnulpho Charlier, cui nupsit *Elisabeth* olim,
Gerson origo fuit, *advena* voce sonans.

(*d*) Nu-

Fratres. Parens quippe (*d*), amore optimarum literarum ac religionis ſtudio, quatuor filios ſtudiis ſacris mancipavit, qui celebre indepti nomen. Ut & virtus filiorum familiæ dignitatem vel pararet vel auge-

(*d*) Numeroſa prole beatus pater, *quinque* vidit *filios*, & *ſeptem filias*. Ex quibus filiis *Petrus* minorennis diem obiit, & *una* duntaxat *filia* viro nupta. Ceteri filii atque filiæ, religioſæ vitæ atque ordinibus ſacris ſanctoque cœlibatui ſeſe dediderunt. In quibus culmen dignitatis & religionis famam ampliſſimam attigit primogenitus, noſter *Johannes Gerſon*.

Totam hanc familiam metro Noſter complexus eſt ſequenti:

Dotavit Deus hos [Arnulphum & Eliſabetham] biſſena prole: Puellæ
Septenæ numero, quinque fuere mares.
Primus theologus, monachi tres, mortuus alter
Infans, & nupſit filia ſola viro.
Fratrem *Petre* rapit te mors, & te ſoror *Agnes*,
Infantes. Vivit purus uterque Deo.
Ægra *Sabina* ſoror vivens mala ſuſtinuiſti
Jugiter, hinc moriens reddita dona capis.
Chara ſoror *Raulina* vale, quæ commeruiſti
Conſors eſſe Jesu, cujus eras famula.
Hoſpita pauperibus & myſtica Martha fuiſti:
Te vocat inde Jesus: Tu benedicta veni.
Tempora compleſti conſummatus cito multa,
Frater, cordis amor, tu *NICOLAE*, mel.
Cœlos credo equidem tu Cœleſtinus adiſti:
Cœlica ſemper amans, dum *peregrinus* eras.

Fratris ſui *Nicolai*, *ordinis Cœleſtinorum Monachi*, aſperrimam in Cœnobio ſuo conditionem, qui à ceteris Monachis ſociis duriſſime haberetur, ut lacrymis conſumendus videretur, præ impenſo amore erga illum fraterno, ægerrimo tulit animo. Indeque literis molliſſimis, precibus & interceſſionibus urgentiſſimis, Cœnobii patres exoravit, qui hujus ſui Nicolai de Gerſon miſererentur, ne moli ſuccumberet. Humaniſſimis quoque literulis animum ipſi huic fratri addidit, qui animum non deſponderet, ſed patienter inter quotidiana ſtudia ferret ſevera jejunia, vigilias pene immodicas, cantus & longæ orationis vocalis permoleſta exercitia, corpus vehementer exhaurientia, lecti duritiem, & ſimilia. In memoriam inter alia illi revocavit matris pia vota & continuas fere lacrymas de eo, antequam eſſet conceptus & dum educatus, prorſus ad exemplum Hannæ, Samuelem à Deo exorantis, Deoque conſecrantis. Obitum hujus ſui Germani fratris inſigni epigrammate, germano ſuo *Johanni*, *Monacho* S. Remigii Remenſis, inſcripto, ornavit, ex quo & ſpiritus noſtri Gerſonis, & præclara fratrum horum ſororumque concordia elucet. Inter alia eleganter ſcribit:

Monice, cur quereris fratrem tibi morte periſſe?
An tua ſit prudens iſta querela vide.
Spiritus aſtra petit, linquens miſerabile corpus,
Carcere ceu tetro carne ſolutus abit.
Cujus erat regimen, grandis labor, aſper, amarus,
Blanditiis fallens, excrucians ſtimulis.
Aſſiduus conflictus ineſt, victoria rara:
Audi, quod lingvam nemo domare poteſt,

Quid

augeret. Primogenitus, noster *Johannes Gerson*, Theologus ac Professor Academiæ factus. Alter nostri *Gersonis* frater, *Johannes de Gerson, ordinis Cœlestinorum Monachus*, Lugduni *prior* inclaruit, tertius fuit *Nicolaus* ejusdem ordinis, quartus itidem monachus. *Fratres Gersonis Monachi docti.*

Quid faciant aures, oculi? Quid membra pudoris?
Quidve manus, gula, cor? Vis quid ad ora petit?
Bruta sub imperium videas descendere freni:
Nauta gubernandi dirigit arte rates.
Et rigida cervice caro sua frena remordens
Se rapit, & Dominum dejicit excutiens.
Opprime mille modis, surget tamen usque rebellis,
Nemoque perfecte suppeditabit eam.
Intro semper inest membrorum dira tyrannis,
Fomentum sceleris, omnis origo mali.
Allicit illecebris, acres exaggerat iras,
Miscet tristitias, gaudia, spemque, metum.
Plurima lis, pax nulla diu, securaque nunquam.
I nunc & tale plangito mancipium.
Mancipium, quod obest animæ, quod sarcina dura,
Quam crebro stimulis exagitare studet,
Congaude potius prægrandi fasce levato
Spiritui fratris, Monice, si sapias.
Dices: Quis novit, quod spiritus alta petivit,
Vel baratri, procul hoc! corruit in puteum?
Aut medio positum num purgatorius ignis
Exurat, scoriam purificans scelerum?
Certum te faciat vitæ respectus honestæ:
Inde salutis spem concipe, te recreans.
Collige vel firmum solamen in hac ratione,
Lucenti speculo quam docet alma fides.
Omnis in hac vita peregrinans tendit ad illam
Cœlestis patriæ perpetuam requiem.
Scis, quam gaudendum, quanto plausu jubilandum,
Tali dum requie perfruitur moriens.
Si purgandus adhuc retinetur, lætificeris,
Præmia cœlorum quod sibi certa manent.
Nil ultra peccare potest, nullo discrimine vitam
Perdere cœlestem, fine suo stabilis.
Judicio domini justo si forte, quod absit,
Perditus est, cur fles? Fletus inaniter est.
Cor tenerum forsan, pietas, naturave pungit:
Rumpi consvetæ fœdus amicitiæ:
Bos & jumentum juga se socialia plangunt
Perdere, nonne magis est socialis homo?
Te minus hinc miror *Raulinam* flere *sororem*,
Assiduis quæ te fovit in obsequiis.
Ejice tristitiam seculi, causat quia mortem:
Pro solo sapiens crimine vita gemit.
Aspera sit sors, sit vel prospera, nil nocet ulli
Si per peccatum desit abusus ei.

Adde,

Nativitas fatalis. Ceterum sub sudo Campaniæ cœlo ortus Noster Anno 1363. 14. Dec. (*e*) die *Nicasii*, quo etiam statim baptismatis lavacro tinctus (*f*). Lucem vidit illo tempore, quo tenebræ in Ecclesia ingruerent, eam mox obruturæ: Ut his tenebris suos objiceret radios, easque sua luce dispungeret. Quod & reapse præstitit. Incidit sane in tempo-

Adde, voluntati tua sit conformis oportet
Divinæ. Quid aget murmur in oppositum?
En bona mors *fratris*, carnalia vincla resolvens,
Quo caperet cœlum liber & emeritus.
Fraternalis amor dedit hanc mortem, quia peste
Dum fovet infectos, contagione perit.
Hac de valle Deus eduxit eum properanter,
Ulterius ne fraus hostica deciperet.
At variis nostra versatur vita periclis,
Omne repletur iter retibus & laqueis.
Tendimus ad patriam suspiramusque gementes,
Quam *Raulina* soror, quam *Nicolaus* habet.
Hactenus hæc volui tibi, *frater*, scribere, quo mens
Fortis & æqua suam nostra petet patriam.
Illic cernere nos, dare vivas reddere voces,
Fas erit, & quicquid cor petit, illud habet.
Oremus tandem pro defunctis, ut & ipsi
Sint memores nostri, cum bene fiet eis.

(*e*) In *Testamento peregrini*, edito in senectute opusculo, annos natus 65, A. 1428. *natalem* suum his circumscripsit cancellis:

Scire velit si posteritas quo tempore natus,
Quoque renatus sit, calculus iste docet:
Mille, quater centum, viginti quatuor annos,
Quatuor adjiciens, dinumera Domini.
Sitque *Decembris* lux mensis *bisseptima*, sextus
Et sexagenus inchoat annus ei.

(*f*) Hunc diem Nicasii, quo natus ac renatus Gerson, concinno carmine, Gerardo Delphini Confessori inscripto celebravit ipse, dulci Baptismatis memoriâ pellectus:

Pars animæ Gerarde meæ doctissime salve:
Finis & initii do monumenta mei.
Fausta dies rutilat tibi consecrata Nicasi,
Et tibi virgo soror martyr & Eutropia.
Luce sub hac mundo natum me, denuo natum
Fons sacer ex utero protulit Ecclesiæ.
Annus erat domini *millesimus*, adde *trecentos*
Sexaginta tres, tunc data vita triplex.
Ira vita prior fuit, iram *gratia* demsit,
Vivificans animam consociansq; Deo.
Tertia vita licet est in spe, vita perennis:
Æterna vita gratia principium est.
Vita peregrinis, usu rationis ab orto,
Quarta subest *operum*, quæ vehit ad patriam.
Hæc operum vita non permanet absque secunda:
Gratia vivificat, nutrit & auget opus.

Quatuor

tempora luctuosissima, quæ Ecclesiæ exitium minarentur ex Pontificum litibus & extrema morum corruptione, ut & patriæ, Galliæ universæ, ex bellis civilibus ac intestinis. Quo anno Gerson natus, eodem Avinioni Pontifex *Urbanus V.* creatus. Sic orbem salutavit Gerson quindecim annis ante ferale Pontificum Gallorum atque Italorum schisma, A. 1378. ortum, non nisi in Concilio Constantiensi ope quoque Gersonis terminandum.

Infantiam sub hoc Urbano V. transegit Gerson, quippe qui octo annis & aliquot mensibus Ecclesiasticum imperium tenuit. Lenta tunc dissidiorum Pontificalium semina, *Gersono* adhuc *puero*, sparsa, quando Urbanus ille, Avinionensis Pontifex, seditionibus in Italia pessulum suâ obditurus præsentiâ, in Italiam ex Gallia se contulit, inde tamen, rebus ut putabat bene compositis, in Galliam mox reversus. Similiter Brigitta inclaruit, *Gersono minorenne*, cujus, licet à morte canonizatæ, jactatas revelationes in Concilio Constantiensi haud obscure oppugnavit. *Fata Ecclesiæ in pueritia Gersonis, ejus fortuna prælucentia.*

Annum agens *nonum*, A. 1371. novum Pontificem *Gregorium XI.* Avinioni creatum fuisse audivit. Quo tempore grandes Ecclesiæ mutationes, Gersono adulto mox negotium creaturæ, ingruerunt. Sedes enim Papalis ex Gallia abitum parare cœpit, vix illuc reditura absque tumultu, aut certe non sine turbis posthac in Gallia conspicienda. Quæ *puer* non animadvertit ex illa sedis mutatione pericula, vix annos juveniles supergressus cum dolore sensit.

Anno fere *ætatis decimotertio*, A. 1376. publicos accepit rumores de subito & occulto Pontificis Avinionensis ex Gallia abitu, quando præter spem atque opinionem Gallorum, Galliâ relictâ in Italiam hic commeavit, sua præsentia Italorum motus compositurus, JCti Baldi præcipue consilio, instigante quoque Episcopo quodam, qui oblique Pontificem corripuisse visus, quod Ecclesiam Ro. deseruisset, nec non instinctu feminarum religiosarum Brigittæ ac Catharinæ de Senis, revelationem venditantium.

Decimum quartum ætatis annum cum ageret Gerson, A. 1377. Gregorio XI. ex Gallia absente & Romæ jam considente, *ad Parisiensem Academiam à parentibus ablegatus est*, philosophiæ primum factus Studiosus, aut Artistarum socius in Collegio Navarrensi, ut ait Warthon. Sic promptum atque alacre *Gersonis ingenium* educationem parentum reddidit feliciorem atque faciliorem, ut ad *Academica studia* mature properare posset. *Ad Academiam Parisiensem commeavit. Philosophiæ Studiosus.*

Vix *Parisiis* albo Academico fuit inscriptus, quando *Avinionensem* illum *Pontificem*, ex Gallia in Italiam pridem delapsum, Romæ

Quatuor hinc vitas totidem dicas & amores:
Vita quadruplex est, ergo quadruplus amor.
Omnes ille meos, qui vivificavit, amores
Vendicat, ille habeat, continuetque precor.
Gratus ego primos semper complectar amores,
Qui si defuerint, quid nisi mors superest?

Triſtia Eccleſiæ fata primis annis Academicis.

Romæ obiiſſe accepit A. 1376. Qui annus triſtisſimis in Eccleſia & republica motibus anſam dedit, quibus componendis Gerſonis tandem conſilia admota. Ex Profeſſorum Pariſienſium aliorumque doctorum virorum diſcurſibus ac ſcriptis *auguria miſeriæ publicæ imminentis* intellexit omnino Noſter. Maxime, cum ad Pariſienſes fama perferret artes armorumque præſidia, quibus *Bartholomæus Archi-Epiſcopus Barenſis Romæ Pontifex* creatus, *Urbanus VI.* dictus. Qui rumor ut *Pariſienſium Academiam* Gallorumque curiam vehementer commovit, ita & *Gerſonem Studioſum* attendere juſſit. Acceſſere mox eodem anno nova Pontificalis ſedis fata, cum alter in Gallia quoque *novus* iterum *Pontifex Avinionenſis*, Cardinalis *Robertus Gebennenſis*, crearetur, *Clemens VII.* appellatus. Cujus in vicinia Pontificis facta atque fata obſervavit *juvenis* noſter *Gerſon*, in Pariſienſi Academia literis incumbens. Attentionemque Gerſonis præcipue pararunt Theologorum in Academia iſthac mox edita de hoc ſchiſmate ſcripta publica, *Petri* inprimis *de Alliaco*, Doctoris Theologiæ, & *Henrici de Haſſia*, Theologiæ Licentiati & Academiæ Vice-Cancellarii, Profeſſorum Pariſienſium celebrium. Quorum ille, cum ab exordio naſcentis Pontificum illorum diſſenſionis, Academia Pariſienſis, ſolenni habita deliberatione, communi ſententia Concilium generale convocandum ſtatuiſſet, hanc Academiæ concluſionem coram Ludovico Duce Andegavenſi, in Francia tunc regente, publice propoſuit A. 1381. Eandemque laudatus *Henricus de Haſſia*, Pariſiis tunc adhuc degens, ſcriptis confirmavit. Ignorare non poterat Gerſon ardua hæc *Academiæ conſilia*, publicis Profeſſorum libris patefacta, qui *quinquennio* in Academia jam vixerat, *octodecim* jam *annos natus.*

Theologica ſtudia excoluit.

Profecit, quando Anno ſequenti 1382. cum *ſexennium* fere *ſtudiis humanioribus* impendiſſet, philoſophiæ præmia nactus, ad Theologica ſtudia ſe totum compoſuit.

Nicol. de Clemangis Gerſonis ſodalis

Inter Commilitones ſuos *Nicolaum de Clemangiis* in Academia tunc habuit Pariſienſi, elegantiorum literarum Studioſum felicisſimum, diligentiâ ac fortuna *Gerſonis æmulum*, poſtea per omnem vitam cariſsimum & literarum commercio conjunctiſſimum.

Gerſon Collegia habuit philoſophica.

Quod ſi Clemangius tunc *Gerſonis doctrinâ* uſus, uti ſunt qui memorant, quod colligi quoque poſſe videtur ex Epiſtolis Clemangii ad Gerſonem poſtea datis, in quibus *Gerſonem* appellat ſuum *Præceptorem dilectum*: Præiviſſe Clemangio Gerſonem in honoribus impetrandis fit veroſimile. Etſi paſſibus haud longis. Sane quando *Gerſon* Profeſſoris Theologi munere functus A. 1392. *Clemangius* munere ambulatorio Academiæ Rector anno ſtatim ſequenti A. 1393. fuit creatus, ut dignitatis Academicæ pares tandem gradus nacti ſint dicendi.

Theologos audivit clariſſimos.

Petrum de Aliaco, *Ægidium Campanenſem*, celeberrimos Theologos Profeſſores integro Gerſon audivit decennio.

His annis, publicis exercitiis Academicis ita jam inclareſcere cœpit, ut *orationes publicas* latinas haberet in Conſenſu Profeſſorum coram tota A-

ta Academia frequentes. Quales ſuperſunt A. 1388. ab illo ſolenniter dictæ, cum *annum ageret vigeſimum quintum.* Quæ uti ingenii præſtantiam arguunt, inſignem quoque humaniorum literarum culturam nunciant. Præter ſacra dicta non inſcite applicata, ſelectis Ovidii, Virgilii, Terentii, Horatii, Senecæ utriusque, Perſii, Ciceronis, aliorumque ſententiis, elegantiam orationibus ſingularem conciliare, pondusque haud vulgare addere didicerat.

Orationes in Academia habuit elegantes.

Vidit A. 1689. in Academia *Cancellarium* creari *Petrum de Alliaco*, Doctorem ac Profeſſorem Theologiæ clariſſimum, præceptorem ſuum, ſucceſſoremque in hoc officio conſtitui *Johannis de Calore*, *Cancellarii* antea *Academiæ* iſtius, cujus *Vice-Cancellarius* fuerat *Henricus de Haſſia*, Pariſienſis adhuc Theologus. Spectavit hæc Gerſon, neſcius, idem grave munus intra octennium, abeunte ex Academia hoc Cancellario, ſibi ſuisque humeris iri impoſitum.

Celebritates Academicas attente obſervavit.

Affulſit quadriennio abhinc, A. 1392. *Gerſono nondum triginta annos nato*, fortuna ſerenior, quando *Theologiæ Profeſſorem* ſe conſtitutum, altioribus ſtudiis adſtrictum ſed & difficilioribus laboribus deſtinatum animadverteret. Quo tempore, ſi non maturius, *Doctoris Theologiæ* characterem quoque indeptus.

Prof. Theologiæ factus & Doctor.

Expertus *in principio* ſtatim *hujus ſui muneris* initia conſiliorum publicorum in Gallia ceptorum, de diſſidiis Pontificum componendis, quæ in Concilio Conſtantienſi finem tandem ſortita. Quandoquidem duo religioſi Carthuſiani Romam petentes, *Bonifacium IX.* exhortati ad pacem parandam, literas ab eo impetrarunt ad Regem Galliæ Carolum VI. quibus exoraretur ad pacis Eccleſiaſticæ ſtudium ſuſcipiendum litesque componendas. Quod *Clementi Avinionenſi Pontifici* adeo moleſtum fuit, ut Carthuſiani hi à Clemente fuiſſent capti & plexi, niſi Rex eos ſervaſſet. Compulſus interim hoc pacto Clemens ad Regem ſuos quoque mittere legatos, perque eos offerre ſchiſmatis tollendi ſtudium, fictum licet atque ſimulatum. In regno mox publica ſcripta hoc de ſcopo edita, & orationes multæ hoc negotium concernentes habitæ. Quin & in templis ſacra huc compoſita. Vidit hæc Gerſon, ex animo gaviſus.

Fata Eccleſiæ expertus difficilia in principio ſtatim ſuæ profeſſionis Theologicæ.

Mox A. 1393. *Petrum de Luna* Cardinalem, à Clemente ablegatum, proximo anno futurum Pontificem, Pariſiis conſpexit & audivit. *Pariſienſiis* igitur *Academia*, cujus tunc Rector *Clemangius*, Cancellarius *Petrus de Alliaco*, & inter plures Theologos noſter *Gerſon*, legatione ad Regem miſſa *unionem Eccleſiæ*, ſic dictam, commendarunt: Epiſtolâ à Rectore Clemangio eleganti ſcripta, & Regi, cui prælecta, percharâ, quam ſupra Parte II. fol. 4. exhibuimus. Huic fini publicæ mox proceſſiones *Pariſiis* inſtitutæ: Colloquia inter Petrum de Luna Legatum Papalem & *Univerſitatem* frequentia habita, quæ in acerbiora etiam utrinque deſinerent verba. Quam *viam ceſſionis* optimam ad tranquillitatem Eccleſiaſticam obtinendam judicaverant *Academici*, eam conſtanter urgebat *Academia Pariſienſis.* Neque *Petrus de Alliaco*, Cancellarius, neque *Ægidius Campanenſis*, Doctores Theo-

logi, Gerſonis Collegæ, à Clemente invitati, quibuscum hac de re Avinioni conſuleret, advenere, injuriam ſibi à Papa inferendam veriti. Clemens indignisſime ferens hanc *Academiæ* ſententiam affectionemq; ſibi adverſantem, deſertis conſultationibus cum Academia ineundis ad magnates ſe contulit, auro eos ſi non ore ad obſequium ſuum pertracturus, *Academiæque Pariſienſi* omnia pericula atque incommoda publice ac palam minitatus. Avertiſſerque fere animum Regis ab Academia, niſi hæc bonæ cauſæ memor, fuiſſet aperte coram Senatu Regio obteſtata, niſi res ſuccederet exoptata, ſe Academicas functiones omnes Eccleſiaſticaque ſua munera depoſituros: Dediſſentq; mox penetrantes & graves literas ad ipſum Clementem, ad vota eum vel pellecturi vel compulſuri. Ita Gerſon, cum ceteris Profeſſoribus, tantisper docere deſiit, donec vota Academiæ à Rege implerentur.

Communia Academiæ pericula ſubiit.

Cum hæc in Gallia agerentur, & *Academia Pariſienſis* maximo ardore cum Clemente contenderet *de tranquillitate Eccleſiæ*, vix ægritudinem triduo perſentiſcens, apoplexia extinctus eſt *Clemens* Avinioni, A. 1394. Menſe Septembri. Atque ita cum ceteris Academicis Profeſſoribus & Gerſon noſter magnorum motuum Eccleſiacorum non finem, ſed exordia, vel primum impetum perſenſerat, frequentisſimis Academicis conſultationibus præſens, ſuamque ſymbolam addens, communia pericula ſubiturus.

Crevere cum annis Gerſonis *labores* ac *honores*, ſed & *pericula*. Quod enim vix ceptum erat, difficile & intricatum cum Pontificibus negotium, Gerſonis humeris tandem incubuit pene totum, quod ad Conſtantienſis tandem Concilii definitionem deferre cogebatur vel ſolus vel præcipuus. Tertio igitur Profeſſionis ſuæ Theologicæ anno, 1394. defuncto Clemente, Academiæ Pariſienſis ſollicitudo aucta, quæ literis Regem obſecraret, qui novi Pontificis electionem impediret, donec ſtatutum eſſet, quo ad tranquillitatem Eccleſiæ perveniri poſſet, quodque *via ceſſionis* aptisſima exiſteret. Impetravitque à Rege libertatem ad reliquas Academias hac de re ſcribendi & eas in conſortium trahendi. Scripſit etiam Rex ex voto Academiæ ad Cardinales Avinionenſes. Qui literas regias acceptas non quidem ſolvendas ac legendas rati, electioni tamen inſtanti præmiſerunt *conventionis formulam*, quod quisquis eligeretur Papa, paratus ſemper foret cedere Papatui, quoties tranquillitas id poſtulare videretur Eccleſiæ. Ex quo ſtatim *Petrus de Luna* electus Papa. Qui pro ſua calliditate literis datis & per legatos pollicitus Regi indefeſſum deſideratæ tranquillitatis Eccleſiaſticæ ſtudium, quibuscunque vellet modis. Quod Regi & *Pariſienſi Academiæ* placuit, qui confiderent, ſincero hæc dicta animo. Unde *Academia* ad novum hunc Pontificem Avinionenſem ſuos miſit legatos literis inſtructos, quibus admonererur ſui officii. Quibus ex voto callidus reſpondit ac annuit Benedictus. Adeo, ut paulo poſt Rex *Petrum de Alliaco*, ſuum Eleemoſynarium ac Confeſſionarium, Academiæque Profeſſorem ac Cancellarium, ſeorſim ablegaret ad Bene-

Longis Academiæ Conſiliis de moribus Eccleſiæ componendis interfuit.

Benedictum. Cui, quod Academiæ reſponderat Benedictus, itidem ſignificavit, ſe facillimum futurum in pace promovenda. Fraudem licet ſubolfacerent in regno plures. Multis dein ſolenniſſimisque congregationibus & Primatum regni & Theologorum, Rex continuavit hæc conſilia, *viamque ceſſionis* urſit: Legationibus etiam variis ad Benedictum continuatis.

Donec A. ſequente 1395. tot legationibus atque obteſtationibus Regis & *Academiæ* ad indignationem commotus, pro autoritate ſua pugnare inciperet Benedictus. Rege non minus atque Academia propoſitum perſequentibus. Ita ut *Academia* appellationem interponeret à Benedicto ad futurum univerſalem Papam. Quam appellationem Benedictus mox *Bulla* oppoſita in fumum redigere conatus. Has Eccleſiæ tempeſtates, jam præſentes, Gerſon non ſine animi dolore motuq; ſenſit, illis mox vehementius quaſſandus. *Certaminis Academiæ cũ Papa Benedicto particeps fuit.*

Poſtpoſitis ac contemtis Benedicti minis, illius machinis anno proximo 1396. *Pariſienſis Academia* novam appellationem objecit. Quam Benedictus *Excommunicatione* ſtatim frangere laboravit. Neque *Academia Pariſienſis* ſuum propoſitum proſequi deſtitit, magna facta congregatione Eccleſiæ apud Maturinum Pariſiis, *viam ceſſionis* confirmans. Quem modum tranquillitatem revocandi XVII. Cardinales Avinionenſes ſuo calculo probarunt. *Onera Academiæ non fugit.*

Mox à Rege & *Academia* legati ad vicinos Reges atque Principes ablegati in Hiſpaniam, Germaniam, Hungariam. In quibus *Wenceslaus* Bohemiæ Rex ac Imperator, à Benedicto corruptus, Academiæ Pariſienſis legatos audire noluit, *Sigismundus* Hungariæ Rex Academiæ conſilia probavit & legatos audivit, quocum conſenſerunt Archi-Epiſcopus Trevirenſis, Colonienſis, Duces Bavariæ & Auſtriæ, reliquique Principes. Acceſſerunt his & Navarræ ac Arragoniæ reges. Hi omnes *viam ceſſionis*, à Pariſienſi Academia propoſitam, optimam ſtatuerunt, ſoli Angli remedium melius in *Concilii generalis* ope quærendum judicarunt.

His *Academiæ curis difficillimisque negotiis* cum eſſet cum Petro de Alliaco, Cancellario, ceterisque Theologis, *implicatus Gerſon*, fidus ac ſedulus illorum Collega: Ex iſthoc Collegio vocatus Anno 1395. *Petrus de Alliaco*, Epiſcopus Anicienſis, mox A. 1396. Cameracenſis factus, qui magno his rebus fuerat præſidio. *Fido Collega Petro de Alliaco orbatus.*

Poſtquam igitur Petrus de Alliaco Academiam & Profeſſionem reliquerat, ac Cancellarii Academici reliquaque aulica munera cum Epiſcopatu Anicienſi ac Camerarenſi permutarat, *Gerſon* dignitatem iſthanc ampliſſimam obtinuit, A. 1396. Ducis Burgundiæ gratiâ, *Cancellarius Academiæ Pariſienſis* declaratus, *annum fere ætatis trigeſimum tertium* agens, in flore ingenii ac fortunæ. *Cancellarius Academiæ factus.*

Functionibus aulicis in curia Regia admovendus erat prius Gerſon, ipſo fatente. Verùm, cum animadvertiſſet jam tum, quibus periculis hoc vitæ genus implicitum, & quod ſuus genius illi operoſo vivendi generi dispar ac diſſimilis eſſet, meditationi magis aptus: *Aulicas functiones declinavit.*

Omni

Omni modo aulicis muneribus etſi locupletioribus ſe ſubduxit, *Academicum* hoc *Cancellariæ officium* præ illis amplexus.

Muneribus Academicis recte functus.

Quo, præter *Profeſſorium munus*, illuſtri *Cancellarii Academiæ officio* atque inſigni ornatus, Academiæ commoda, Eccleſiæ tranquillitatem, Galliæ gloriam, ſtudiorum dignitatem, omni induſtria ac labore promovit Gerſon. Qui non inanem ſe impendiſſe ſtudiis operam animadverteret, calcaria ſibi ex honorum dignitate addita ſenſit ad veritatem clarius illuſtrandam ac impenſius promovendam. Uti multa præclara ingenia ex pretii atque dignæ æſtimationis defectu, vel torpeſcunt ac ſitu quaſi obſita inepta redduntur, vel tædio enervantur atque extingvuntur.

Magnæ autoritatis fuit.

Functus ſane Gerſon ſplendidiſſimo hoc Academiæ omnium celeberrimæ officio eâ fide, gravitate, prudentia, alacritate, atque animoſitate, ut totius Eccleſiæ vacillantis atque ad interitum vergentis ſalutem unus fere poſtea ſuſtinere, ſervare, aut reddere videretur. Hujus certe conſiliis precipue deinceps factum, quicquid fere per viginti annos ad Concilii Conſtantienſis finem usque in infanda morum corruptione & miſerabili Pontificum diſſenſione remedii in Gallorum curia & Pariſienſi Academia porro quæſitum vel admotum.

Corruptiſſimam Eccleſiæ faciem deprehidit.

Arduum hoc Cancellarii cum ſubiret munus, in Gallia Pontifex Avinionenſis Benedictus XIII. *Petrus de Luna* triennio jam Eccleſiæ habenas callide gubernaverat: Italus Pontifex *Bonifacius IX.* octennio & ultra, peſſimas *Simoniæ artes* in Eccleſia exercuerat. Sub horum regimine non quaſſata ſed diſtracta Eccleſia opem ab Imperatore Romanorum Wenceslao expetebat atque expectabat. Verum hic ſuâ majeſtate Cæſarea, quæ in componendis Eccleſiaſticorum atque ſummorum Pontificum diſſidiis, Eccleſiæque tranquillitate paranda, ex antiquisſimis temporibus pro uno ultimoque remedio habita, uti neſcivit: Etiamſi à Principibus Romani Imperii exterisque vehementer urgeretur ac tantum non compelleretur. Quapropter non ſolùm *Germani*, hujus neglecti juris auguſtiſſimi pertæſi, Wenceslao poſtea ſede moto alium Imperatorem Rupertum tandem elegerunt, ſed & *exteri* interea, *Galli* inprimis, ad Carolum VI. Gallorum Regem conſtanter confugerunt, qui infandis malis Eccleſiæ publicis, ut cœperat, mederetur. Sic res propemodum omnis, & in curiam Regis & in *Academiam Pariſienſem* continuo rediit. Hujus præcipue fuit, morbum Eccleſiæ penitius ſemper contueri, clarius depingere, deplorare, tractare, eidemque aptam medelam parare atque decenter conferre. *Clemangius*, *Gerſonis Collega*, integro jam triennio, Academiæ conſilio atque juſſu Regem Galliæ A. 1393. & novum Pontificem Avinionenſem A. 1394. publicis literis hortatus fuerat, qui corruptioni Eccleſiæ motibusque publicis Pontificum metam ponerent.

Ita Pariſienſis Academia telam erat orſa: Hanc pertexere ſummè erat neceſſarium. *Cancellarius* itaque factus *Gerſon*, molem pœne omnem ſuſtinere debuit. Maxime, cum *Petrus de Alliaco* ſalutis publi-

publicæ cupidissimus, qui negotium à Rege & Academia jam cœptum, serio curaverat, Episcopus Cameracensis factus, ex Academia emigrasset, & *Nicolaus de Clemangiis*, aptissimum elegantissimumque rei illius tractandæ instrumentum, ex Academia in curiam Pontificis Avinionensis esset pellectus. Sive id fato quodam contigerit, utrumq; rebus difficillimis componendis commodissimum instrumentum, vix inchoatis subtrahi, & ex Academia avocari, sive calliditati Benedicti XIII. novi Pontificis sit hoc acceptum ferendum. Qui, cum abunde cognovisset, in ipsa sui electione, & proxime secuta Regis Gallorum legatione, cessionem à papatu à curia Regis & *Academia Parisiensi* sibi commendatam, cumque paulo post peculiarem Regis legatum *Petrum de Alliaco*, Theologum, Academiæ Parisiensis Professorem, Cancellarium, ac Regis Eleemosynarium & Confessionarium, Avinioni hoc agentem audivisset, facile intellexerit, hunc *Petrum Alliacensem* à Rege & Academia esse abstrahendum. Quod commodiori via non futurum, quàm lautiori *Episcopatus* munere oblato. Simili ratione atque consilio *Clemangius*, acer emendationis propugnator, in partes Benedicti pertrahendus visus, lauto officio *Secretarii* in curia Papali oblato. Quanquam certum sit, Benedictum in utroque egregie falsum. Quandoquidem neuter à moribus pristinis prorsus unquam recessisse deprehensus, quorum quisque pleraque Academiæ consilia, nonnullis exceptis, probaret: Etiamsi affectus in Benedictum nunquam non in utroque propenderet.

Collegas duos, difficillimi laboris socios, ex Academia avocatos doluit.

His magnorum negotiorum sociis fidisque comitibus præsentibus privatus *Gerson*, caput rei porro pertractandæ, omnes intendit nervos, ut & *Professoris* & *Cancellarii* satisfaceret officio.

Quod ergo in desideratæ pacis Ecclesiasticæ vel unionis tela texenda pergerent Galli cum vicinis regibus, *Academia Parisiensis* sua semper junxit consilia Gersono Cancellario. Donec A. 1398. obedientiam Pontifici Benedicto subtrahendam esse decerneretur, usque dum cessionis viam hic amplecteretur. Quod *subtractionis decretum* cum per vota collecta formaretur, Gerson præsens non fuit. Formatum tamen aut conclusum impugnare pertinaciter noluit. Uti ipse postea in epistola ad Ducem Aurelianensem anno 1403. ingenue est fassus.

Decretũ Galliæ contra Papam Gersono invisum.

Per Parisiensem Theologum *Ægidium Campanensem*, Gersonis Collegam, solenniter publicatum, Cardinalibus Benedicti laudatis communicatum, & ab illis probatum, ut & à vicinis Principibus exceptum. Offensus Benedictus non solùm per subtractionem Regis & regni, sed & ipsorum Cardinalium, hos capere constituerat. Verum insidiis animadversis è manibus Benedicti elapsi Cardinales, sub umbra Regis acquieverunt, à Benedicto remoti. Populus Avinionensis his motibus visis Cardinalium vestigia legens, triennio obsedit in arce Benedictum, missis à Rege militibus. Usque dum obsidione soluta pacis studium promitteret.

Prævisũ decreti difficilem eventum expertus.

Adversitates multæ in Cancellariato officio.

Ita quinquennio in tam illustri Cancellarii munere, præter conspicuum characterem nil invenerat illo tempore aliud quàm labores, invidiam, cruces, tenuissimum vitæ præsidium, non luxui nec pompæ inserviturum, sed vix vitæ frugalissime conservandæ sufficturum. Ut in tanto nominis splendore externo quàm egena fuerit res domi ex pertenui præmio, mittamus: Senserat certe statim in hoc munere curarum, tædiorum, periculorum, adversitatum, criminationum, insidiarum, illam molem, quæ parum abfuisset animum si non fregisset, concussisset tamen ac debilitasset, ni fortiter agendum meminisset. Sane cogitatio sæpius subiit, in tantis, non solùm ex officio, sed & vel maxime ex obtrectatorum atque malevolorum calliditate, molestiis, muneri huic vel oneri Cancellariatus valedicere, sive id vitio ipsi verteretur grandi, sive admirarentur alii.

Officio Cancellariatus valedicere voluit.

Brugas abiit. Causas mutati officii dedit.

Quod consilium eousque animum circa annum 1400. occupaverat, ut relicta Lutetia & Academia, *Brugas* se conferret, tranquillius & minus periculosum vitæ genus quæsiturus. Simul *causas* prægnantes, quare splendidum *Cancellariæ Parisiensis officium deserere* animus esset, consignare non intermiserat. (*g*)

Execu-

(g) *Ista est pars*, inquit, *angustiarum ac calamitatum in officio Cancellariæ Parisiensis, quorum consideratione & sanctissimorum Deum timentium consiliis, cedere simpliciter & gratis, fixus institui. Cogor pluribus dominis, magnis valde, qui adversissimi sunt, complacere vel obsequi. Nomina non explico, illa scientibus.* [Dux Aurelianensis, Regis Caroli VI. frater, & Dux Burgundiæ.] *Puto videtur insania, hanc perplexitatem, cum fas esset, non fugere. Siquidem indignatio Principis, mors. Et nemo potest duobus dominis servire. Cogor amicis favere, qui tamen eruere me non sufficiunt nec mea à factiosis & fortissimis hominibus, qui omnia calumniantur quæ ago, imò & verba mea tota adversus me execrantur. Hæc idcirco persecutio plus personalis est quàm altera. Quo casu licet & expedit secedere, & vincere in bono malum. Ne obnitendo frustra ego ruinæ magnæ cum amicis involvar. Hoc docere possunt ea, quæ noviter contigerunt. Christi similiter & Pauli exempla atque documenta id suadent. Nam hoc casu pastorum fugere non fugere est. Cogor importunissimis imò nimis gravibus obniti vel peccare: melius autem est incidere in Dei manus quam hominum, cum possunt declinari: Ne amans periculum pereat in illo. Cogor ad liberationem aliorum, vel pro consvetudine temporis, ignaros scientia & pernitiosos moribus promovere, & quandoque sufficientioribus præponere. Cum tamen dicat sapiens: Noli velle fieri judex, nisi virtute valeas perrumpere iniquitates. Cogor importunissimis hominibus & diversorum morum à meis respondere & obsequi, eis conjungi familiaritate, aut incivilis judicabor, & ero proximus periculo, quia gaudere oportet cum gaudentibus. Cogor assidue rumores audire, qui illic continuo perstrepunt, quibus animæ quies omnis eripitur, & in multiloquiis hujusmodi peccatum non deesse, ac spiritualiter congregata per hoc dilabi statim, cognitum est. Cogor laborare pro curiosis sermonibus, quibus absque ædificationis fructu maxima temporis pars absumitur. Et mihi convenit illud: Stulto labore consumeris. Cogor rursus curiæ fluctibus etsi non semper immergi, vel ingratus judicabor. A quibus ut emigrarem sola fuit hæc occasio Cancellariam postulandi. Et contulit hoc Deus: Aliter tamen quam sperabam. Cur non igitur habito fine*

cessa-

Executus etiam constanter hoc consilium fuisset Gerson, nisi Ducis Burgundiæ, à quo fortunam erat nactus, voluntate atque jussu fuisset retractus ac retentus. Cui ægre obsecutus, onus impositum animo præsenti porro sustinuit, dum Collegio interfuit. Haud raro tamen consilii recordatio animum ab æmulis lacessitum iterum vellicavit, seque à Duce Burgundiæ retentum doluit. (*b*) *A Duce Burgundiæ ad Academiā & Cancellariatum retractus.*

cessat motus? Cogor inter hæc & similia, missas & orationes omittere, vel irrecollectus dicere. In quibus tamen fructus est uberior, si bene fiant, quam in graduum tali quali distributione. Ubi tam parvus, utinam non sæpe pernitiosus, Ecclesiæ fructus. Mores intima cernentibus linquo. Ubi locum habet illud Apostoli: Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Cogor etiam in temporali vita quasi mendicare & despectus vivere: Cum mediocritas aurea, non amara paupertas, sit tutissima, secundum exigentiam status: Cum alibi (Brugis) *abundanter habeam, & menagium jam providerim, quod cum detrimento magno oporteret relinquendo dissipare, & cum grammaticulis & pueris vivere. Cogor pro vivendo Decanatum tenere, ubi proficere verbis & exemplis sum adstrictus. Et tamen si non resideam in Cancellaria, [sciunt omnes esse juramentum] quale murmur, quale detrimentum? & qualiter jure vocabor monstrum biceps? ambitionis insuper, imo dejerationis exemplum putabor. Cogor liti pro adjuncto beneficio vel cedere cum irrisione & damno, vel cum fortissimo & insuperabili hoste in æternum dimicare. Quod à moribus meis abhorret maxime, & insonat illud auribus meis: Cur non magis injuriam patimini? Cogor ad præbendam noviter anhelare, me quoque & amicos meos huic novæ curæ subjicere. Ubi quanta spes provisionis sit, mores hodierni docere facile possunt. Et profecto hoc quærere non obligor, nec ex altera parte improvisus stipendiis propriis laborare, neq; hunc* (Brugas) *deserere locum, ubi absq; honore saltem periculoso vacare mihimet possum, & hæc omnia quæ præmittuntur & sequuntur scandala declinare. Quod si scandala post hanc resignationem, ut amici minantur, contingant, profecto & venient eadem vel majora, si non divisio ulla. Malo in alio, sub alio, & pro alio, quàm in me & sub me fieri. Et notetur illud Salustii: Frustra niti, & fatigando non nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Cogor multitudinem insequi ad agendum, quod non placet aut licet, vel ut hostis ac suspectus ambitione haberi. Nec hoc dissimulare aut fugere seu tacere sufficit, nisi patenter clamavero. Cum tamen scriptum sit: Non insequeris multitudinem ad faciendum malum. Cogor pernitiosa dogmata, qualia jam seminata sunt ab aliquibus, vel tacere contra conscientiam, vel cum summo mei imo veritatis periculo illa per revocationes corrigere, & non potius confirmare faventes dicentibus: Permiserint. Ubi autem malitia prævalet, habitandum non esse suadet Plato. Et illic Ezechielis & Jeremiæ de gemendo valet consilium. Cogor linguas omnes malevolas tanquam signum ad sagittam perpeti, quæ tamen intolerabiliter sæviunt & penetrant. Sciunt experti, quantum denique non in verbis solum sed in vita, propter cohærentiam quandam hic innominatam sit discrimen, agnoscunt. Quo pacto denique redimendum tempus sit vident. Quoniam dies mali sunt, imo super modum periculosissimi, & seditionum seminibus undique repleti. Arx Sion occupata sit in laqueum ipsi Hierusalem. Felix porro, è tali naufragio non sine beneficio si vel nudus enataverit, &c.*

(*b*) *Si absque ulla fictione cum laboribus plurimis & expensis,* scribit, *olim jam conatus sum debiles humeros meos, & fragilitatis suæ conscios subducere oneri tanto Cancellariæ Parisiensis, & in alium gradum* (Brugis) *transferre: Nihilominus inegressibili quodam labyrintho circumactus, quasi posuerim pedes meos in rete, & in maculis*

Retracto Parisios Gersono in *Academiam Parisiensem*, Professores dissentire de *subtractione Benedicto facta* cœperunt, aliis eam tenendam ac tuendam ratis, aliis eam abolendam ac Benedictum restituendum opinantibus. Quæ sane res & Gersono Cancellario negotium haud leve facessivit. Maxime, cum ipse Gerson ejus esset sententiæ: Postquam Benedictus *viam cessionis*, ceteraque media *pro pace ac reformatione Ecclesiæ*, admisisse diceretur, decretum istud subtractionis esse abolendum, restituendumque Benedictum. Id quod, (ut *ad Ducem Aurelianensem* mox scripsit,) *cum odiis & discriminibus non modicis* factum.

Nova pericula Gersonis ex publicis Academiæ negotiis.

Quæ sane causa fuit, cur eo tempore, anno 1403. duro ad Benedictum legationis onere premeretur. Quippe quod *non tam missus quam coactus legatus* (ut ipse de se memorat in epistola ad Ducem Aurelianensem) nomine Academiæ Parisiensis de superiori isthoc unionis negotio cum Benedicto agere jussus esset. Quod onus cum detrectare non posset, Academiæ obligatus, primum *Tarasconæ*, deinde eodem hoc anno *Massiliæ* coram Benedicto, præsente Duce Aurelianensi, longos sermones habuit, quibus ad unionem *viamq; cessionis* Benedictum pertraheret. Quæ Gersonis legatio uti per se tædiosissima atq; periculosissima, ita & eo nomine permolesta facta, quod existerent malevoli, Gersonis æmuli, qui orationes ejus perstringerent contumeliose. Quibus occultis susurris atque contumeliis obviam ivit epistolâ ad Petrum de Alliaco, Episcopum Cameracensem. Qua sese decenter purgat, & æmulorum fraudes ac in pervertendis verbis insidias notat. *Experior*, inquit, *veram esse Comici sententiam: Nihil esse, quin male narrando possit deteriorari. Hanc ego esse unam ex maximis difficultatibus æstimo, quæ reddunt officium prædicationis onerosissimum. Quas difficultates atque discrimina Gregorius & Chrysostomus, quilibet in suo Pastorali & Augustinus l. 4. de Doctr. Christiana, copiosissime enarraverunt. Fit enim plerumque (loquor centies expertus) ut præsentes in sermone aliquo non solum depravent bene dicta, sed ea, quæ nullo modo dicta sunt constanter affirment pro prolatis. Stultorum quidem infinitus est numerus, est tamen sapientis assertio: Stultus non capit verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo. Verum quoque est dictum Apuleji: Multos esse, qui solis auribus corporis philosophentur, intellectum verò vel nullum habeant, vel illum varient pro varietate passio-*

Legatus ad Pontificem Benedictum XIII.

Legationis illius molestiæ.

Novas contumeliarum insidias expertus.

culis ejus ambulem: Confusus sum ab expectatione, sentioque illud Terentianum: Quod non licet hominem sæpe esse ut vult. Mandatus sum quippe ab illo, cui post Deum me & omnes operas meas debeo; [Dominum meum, Dominum Burgundum loquor] Cujus utinam aliud circa me & pro me modestius, humilius, salubriusque consilium extitisset. Ignoscat Deus id ipsum consulentibus. Ibam obediens. Sed impedivit iter meum, qui olim asinæ Bileam obstitit, & interim ab executione officii Cancellariæ, me spontaneum illud etiam prorsus deserere paratum, tamen illud pro obedientia exequi volentem, suspendit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

passionum & affectionum, quemadmodum in sonitu campanarum sumimus argumentum, &c.

Ceterum hæc fata Benedictum tandem compulerunt, ut anno 1404. animum applicaret ad rem cum Romano Pontifice Bonifacio tractandam, diffidiaq; componenda. Quod lætum Academiæ Parisiensi nuntium, Gersono quoq; animum reddidit. *Bonifacius* verò hoc nuntio audito perterritus subito expiravit, ac *Innocentio VII.* mox locum dedit.

Rex & *Parisiensis Academia* ad novum illum Innocentium æque ac Benedictum proximis his annis legatos sæpius miserunt, ad unionem utrumque invitaturos. Inter hæc anno 1406. multis colloquiis habitis, in publico concilio Gallico, præsente Rege, Benedicti partes (forte affectu beneficiis superioribus moto) tueri visus Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis: Academiæ Parisiensis Professoribus Concilii Generalis autoritatem supra Papam urgentibus, Conciliique talis necessitatem probantibus ad reformandam Ecclesiam in capite & in membris.

Electo A. 1406. novo Romæ Pontifice *Gregorio XII.* à Rege & *Academia Parisiensi* pristinum quærendæ pacis studium ardentissime continuatum, Legatione spectabili ad Benedictum & Gregorium instructa. In qua & *Petrus de Alliaco*, Episcopus Cameracensis, & noster *Gerson*, Theologus & Cancellarius Parisiensis, comparuerunt. Hi duos contendentes Pontifices excitarunt *ad Savonense* mutuum *colloquium*, anno 1407. indictum. Sed irrito eventu. *Denuo ablegatus ad Papam.*

Quare Galli, se cum tota Ecclesia falsos à Benedicto agnoscentes, quam tantis per, sub spe boni, Benedicto reddiderant obedientiam, hoc an. iterum subtraxerunt. Atq; ita *Neutralitatis decretum*, (Nec Benedicto nec Gregorio, in his eorum collusionibus Gallos nomen daturos,) vicinis Regibus ac Principibus, Rex Galliæ denunciavit, 12. Jan. A. 1407. idque se solennissime publicaturum indicavit, servandum donec unus aliquis Papa eligeretur. Quæ publicatio mox secuta.

A. 1408. In Concilio Provinciali Rhemensi à festo Paschatos comparens Gerson *Reformationem omnium statuum Ecclesiasticorum* magno affectu longaq; oratione commendavit, & Concilii Generalis opem imploravit. In eodem quoq; Concilio Gallico præclarum edidit tractatum ejusdem argumenti *De Visitatione Prælatorum* vel *Cura Curatorum*, officii sacri eos serio admonens. *Orator in Concilio Rhemensi.*

Cardinales mox ex utraq; parte *Pisas* confluxerunt, in Concilio Generali ibi celebrando reformationem orsuri ac longas lites terminaturi. Quo cum tenderent Anglorum legati, Parisios delati, Academia Parisiensis *Gersono* Cancellario suo *officium dedit*, coram Anglicis his legatis, ad Concilium Pisanum euntibus, de tam grandi negotio *disserendi*. Qui præclaram habuit *orationem*, Concilii necessitatem atque dignitatem demonstrans, in quo duobus illis Pontificibus remotis tertius eligeretur. *Orator apud Legatos Anglos.*

Sic factum tandem, ut in *Generali* isthoc *Pisano Concilio* Anno 1409. rejectis Benedicto & Gregorio, *Alexander V.*

substitueretur, per eundem expectatâ reformatione universali Ecclesiæ in capite & in membris. Et hæc longa periodus est tristium fatorum, quæ cum ceteris Theologis Parisiensibus *Gerson* Academiæ Cancellarius moderari debuit per duodecim annos.

Incidit præterea in hoc tempus, in Annum 1407. flebilis casus, miserabilis *cædes* Ludovici *Ducis Aurelianensis*, à Johanne *Duce Burgundiæ* perpetrata. Hanc inaudito exemplo legitimam & justam demonstrare conatus Doctor *Johannes Parvi*, *Theologus Parisiensis* celebris, doctrinâ ac eloquentiâ clarissimus.

Nova Gersonis pericula ex causa Johannis parvi.

Quæ res occasio maximarum atq; intricatissimarum fuit litium, Gersonoque eas postremo creavit molestias, quas, cum animo magno pro veritate multis annis sustinuisset, vix perpetuo exilio declinare potuit, uti sequentia docebunt fata.

Geminis proinde ancipitibus negotiis publicis, Ecclesiæ tranquillitatem per dissidentes Pontifices turbatam, & Ducis Aurelianensis cædem vindicandam concernentibus, implicitus Gerson, nodos ubique sensit tantum non insolubiles. Quamvis enim Anno 1409. in Concilio Pisano, duo Pontifices *Benedictus* & *Gregorius* remoti, *Alexandro V.* substituto: Illi tamen tenaciter Papalem suam autoritatem tueri allaborarunt, tribus Pontificibus rem sacram vellicantibus. Accessit mox obitus hujus *Alexandri V.* quem magno Ecclesiæ infortunio atque damno excepit *Johannes XXIII.* Anno 1410. Quod autem hic Galliæ mox aurum peteret, avaritiæ vorago inexplebilis, *Academia Parisiensis* Pontificis Collectores repudiare Regi svasit, ac urgentibus causis ad Concilium Generale appellandum duxit, quod intra quatuor annos celebrandum esse definitum erat in Concilio superiori Pisano, ad reformationem Ecclesiæ universalem.

Consilia Gersonis de Ecclesiæ Reformatione & Concilio.

Qua occasione *Gerson* memorabile hoc anno opusculum edidit *De modo pacificandi reformandi ac uniendi Ecclesiam*, Petro de Alliaco Episcopo tunc Cameracensi inscriptum. Quo miserabilem Ecclesiæ statum sui temporis egregie depinxit, ac per *Romanorum Imperatorem*, quem, cum Imperium Rege careret, *Sigismundum* optabat, Concilium Generale convocandum esse ostendit, in quo corruptio infanda Ecclesiasticorum emendaretur.

Multis proinde ultro citroque missis legatis effectum, ut Johannes Papa A. 1411. Concilium ad Reformationem Ecclesiæ convocandum simularet. Quod magnum Gallis & Academiæ Parisiensi peperit gaudium.

Sed fucato Concilio Romæ A. 1412. coacto, ast sine fructu & cum risu mox soluto, (*i*) *Imperator Romanorum Sigismundus* A. 1413. ad aliud solidius atque fructuosius Generale Concilium congregandum omnia adhibuit consilia.

Ceterum hic annus, qui ex novo Generali Concilio per Sigismun-

(*i*) V. *Clemang.* supra, Part. II. f. 67. conf. *Theodoric. Niem.* Hist. Joh. XXIII. Tom. I. Rer. Germ. Illustris Meibomii, fol. 19. f. Ex quo *Palatius*, in Monarchia Ecclesiastica Tom. III. f. 452.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mundum convocando Gallis & Parisiensi Academiæ, ipsique Gersono magnam spem impensumque gaudium afferre videretur, domi ingentes præmisit calamitates. Quandoquidem enim à cæde Ludovici Ducis Aurelianensis, Burgundiæ Dux, Johannes, cædis autor, cives Parisienses in suas pertraxerat partes: Seditio gravis Parisiis hoc anno exorta, quæ Gersonem, Theologum spectabilem, tumultuanti populo obviam euntem, ad necem vel carcerem rapuisset, ni fuga salute quæsitâ manibus plebis elapsus esset, prædæ expositis rebus privatis omnibus, tota supellectili domestica dissipatâ, qui interea inter superiores fornices ædis S. Mariæ per aliquot dies delitesceret. *Seditio Parisiensis Gersonem grassit.*

His quoque fluctibus compositis, *Johannis Parvi* pridem defuncti *opuscula*, quibus cædem Ducis *Aurelianensis* à Duce Burgundiæ perpetratam, justeque quemvis Principem tyrannum à quolibet subdito interficiendum defenderat, in Gallia difficiles crearunt lites. Quæ Regem & Academiam exeunte hoc anno *Concilium Nationale Gallicanum* convocare compellerent. In quo Concilio in Gersonem nostrum præcipua cura devoluta, qui os calamumque adhibere & intricatissimam causam publice agere ac ad finem perducere teneretur. Ex libris proinde *Doctoris Johannis Parvi*, quos *Justificationis* nomine *pro Burgundi facinore* ediderat, argumentum vel articulos formatos, in Concilio isthoc Gallico publice proposuit. Quod tantopere Assessoribus placuit, ut tota natio Gallica solennes ei gratias ageret pro hoc onere suscepto, publicoque diplomate communem hanc suam causam esse testaretur, Gersonemque ab omnibus periculis ac injuriis inde in eum redundaturis vindicandum sub sigillo polliceretur. Multis proinde sessionibus diu multumq; re expensa, communi consensu tandem A. 1414. *Johannis Parvi sententia* damnata, Gersonis præcipue calcaribus aut verbis scriptisque urgentibus. *Molestissimum ac intricatissimum regni negotium, de cade Ducis Aureliaensis, à Gersono feliciter tractatũ in Concilio Gallico.*

Postquam hoc saxum non sine periculo volverat, nec sine contradictione evicerat quod justum, sub finem Anni illius 1414. *Concilium Generale*, diu & à Gersono desideratum, *Constantiæ* tandem inchoatum. Hi nunc montes supererant, qui non sine sudore à Gersono superandi. Restabant labores difficillimi, in conspectu totius orbis à Gersono *in Concilio Constantiensi* conficiendi. *Conciliũ Generale diu à Gersono desideratum.*

Solenni comitatu stipatus, autoritate Regia, *Legatus ad Constantiense Concilium commigravit*, A. 1415. *quinquagenario major*, ex doctrinæ præstantia & religionis zelo famam illustrem nactus, quæ in Concilio autoritatem maximam illi conciliaret, & plerisque decretis pondus adderet gravissimum. *Legatus regius ad Conciliũ Constant.*

Brigittæ canonisationem, ex visionibus venditatis in *Concilio Constantiensi* quæsitam, *de Probandis spiritibus* opusculo docto manifeste satis impugnavit A. 1415 licet impedire nequiverit. *Brigittæ Canonisationem impugnavit.*

Hussi & Hieronymi Pragensis rogum, in Concilio Constantiensi multis longisq; motibus atque concertationibus paratum, quod promoverit, suppliciumq; eorum probaverit, religionis avitæ amor effecit. *Hussi incendium promovit.*

cit. Hinc ortæ orationes ejus in Wiclefum & Hussum, ejusque dogmata, maxime in communionem laicorum sub utraque specie.

Concilii integritatem defendit.

Quando ex Concilio *Johannes* XXIII. *Pontifex sede motus* aufugerat, Concilii sollicitudinem pro congregatione isthac servanda, defendenda, atque continuanda, fortiter tuitus est.

Autoritatē Concilii supra Papā ursit.

Neque destitit calcaria addere Concilio, quod *Concilii autoritatem supra Papam* assereret, publice denunciaret, atque omnibus viribus defenderet. Id quod eo successu factum est, ut decretis hoc definiretur solennissimis, plus simplici vice repetitis. Quo fine varia & præclara in Concilio edidit scripta. Veluti, *De Potestate Ecclesiastica*, A. 1417. d. 6. Febr. Sermonem A. 1415. 21. Julii habuit solenniter, pro itinere Sigismundi Regis Romanorum in Hispaniam, quo complexus memorabiles *regulas, Concilii dignitatem atque autoritatem attingentes.* Simile editum hic opusculum *De Auferibitate Papæ ab Ecclesia.*

Tres Papas sede movere suasit.

Tranquillitatem Ecclesiæ, per tres dissidentes Pontifices disturbatam, in Concilio hoc œcumenico revocatam atque redintegratam optabat serio. Quapropter *viam cessionis*, quam in Gallia ante multos jam urserat annos, strenue inculcabat atque commendabat. Qui modus etsi per tres illos Pontifices, *Johannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII.* arte atque marte oppugnaretur, vicit tamen, & cunctas horum machinas expugnavit, tribus illis sede motis. Juvit hanc rem in Concilio Gerson non duntaxat consiliis, sed & plurimis scriptis.

Reformationem universalē Ecclesiæ optavit.

Reformationem Ecclesiæ universalis, in Concilio hoc Constantiensi præcipue suscipiendam, tam enixe publicis privatisque orationibus & scriptis commendavit, exoptavit, postulavit, ut præ cupidine hujus *Emendationis Ecclesiasticæ* vitam se profusurum haud occulte indicaret.

Impeditā reformationem doluit.

Sensit tamen, quam difficile hoc esset negotium, cui *clerus* dives & potens, numero exercitum validissimum superans, arma fulgidissima opponeret, insidiasq; strueret haud eludendas. Quare impense doluit, hanc rem tam frigide, callide tamen tractari, totumq; orbem spe sua excidere ac falli.

Ambigua reformationis fata in Concilio vidit.

Præcipue, cum quæstio esset ponderosissima, *an prius desideratissima esset Ecclesiæ reformatio instituenda atque conficienda, quam novus eligeretur Pontifex*: An verò prius Papa aliquis comparandus, qui Reformationem isthanc dirigeret. Illud voluit cum aliis bonis & cordatis ipsoque Imperatore Sigismundo. Qui probe intelligerent, irritam fore omnem reformationem, nisi ante novi Papæ electionem absolveretur.

Dilatam reformationem ægre tulit.

Id quod eventus etiam docuit. Cum enim, *articulis Reformationis* vix delineatis, ad electionem novi Papæ in Concilio procederetur, *Martinus V.* autoritate Papali pristina munitus, institutum hoc saluberrimum à toto orbe expetitum ipsumq; Concilium subito abrupit, laudatam atque optatam *reformationem Ecclesiæ* in aliud idque proximum Concilium *differens.* Conquestus de eo millies Gerson integerrimus, preces suas, vota sua, monita sua, scripta sua, obtestationes

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nes ſuas, quæ pro iſthac neceſſaria Emendatione publica in Concilio ſolennisſimo continuo effuderat, irrita eſſe atque fruſtranea.

Sed & alterum negotium, ex Gallia in Concilium Conſtantiam advectum, *Johannis Parvi*, *Pariſienſis Theologi* doctrinam, in Reges atque Principes injuriam, cumque legibus divinis ac humanis pugnantem, concernens, magno ſtudio, ut olim, multis libris atque orationibus, in variis Conſeſſibus tractavit. Quæ damnata ſolenniter erat in Concilio Gallicano Nationali, eam & in hoc Univerſali reprobatam optabat. *Perplexũ negotium de immunitate Principũ, in Concilio à Gerſono tractatũ.*

Verùm hac parte admodum infelix Gerſon. Qui pro Regum atque Principum majeſtate ac vita in Concilio pugnabat, qui illos, etiam tyrannos, à ſubdito aut vaſallo quovis occidendos eſſe, pernegabat, qui divinas humanasque leges colebat atque defendebat, cædes tales execratus, juſtiſſimam ſuam cauſam deſertam prope experiri oportuit. Burgundorum enim artes, ad cædem Ducis Aurelianenſis, à Duce Burgundiæ perpetratam, defendendam compoſitæ, ſpem Gerſonis ipſamque juſtitiam mire turbarunt. Nam prolixis ſcriptis diu multumque in Concilio hac de re pugnatum, tot viris claris prope eam impugnantibus ac propugnantibus. Ut difficile perquam eſſet rem prorſus ex voto compoſitam indipiſci. Teſtantur hoc *Acta publica Conſtantienſia, ad hanc cauſam Johannis Parvi pertinentia*, quæ pluribus conſtant Tomis, in *AUGUSTA WOLFENBUTTELENSI BIBLIOTHECA* curate aſſervata, ſuoque tempore noſtris *his Concilii Conſtantienſis rebus* volente Deo ſubnectenda. *Veritatem per Inſidias obrutam doluit.*

Matthæi Grabon, ordinis Prædicatorum Theologi, conventus Wimarienſis provinciæ Saxoniæ, Mersburgenſis Diœceſeos, in Concilio Conſtantienſi oblatum de *vera Religione ac Perfectione* libellum, non ſolum Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis, ſcripto in Concilio reprobavit tanquam igne dignum, ſed & Gerſon noſter peculiari mox libello refutavit, tredecim doctorum, ex diverſis Academiis in Concilio præſentium Theologorum, calculum conſecutus, cum Antonius Cardinalis Veronenſis judicialiter hanc cauſam tractaret. Unde ad recantationem atque abjurationem ſuæ doctrinæ & ſcripti ſolennem perductus in Concilio *Grabon*. *Matthæum Grabon, Dominicanum, ad palinodiam vocavit.*

Celebrabatur etiam iſta ætate *ſecta* alia *Flagellantium*, quam *Theodoricus Vrie* in *hiſtoria Concilii Conſt. lib. 4. diſt. 13. f. 127.* fuſe deſcripſit. Aſſeclas habuit ſecta viros multos doctiſſimos, nec infimæ ſortis. In his erat *Vincentius*, *Ordinis Prædicatorum Theologus* celebris, multis egregiis pro Eccleſiæ commodo factis inclytus. Hunc molliſſimis atque perhumanis literis Gerſon invitavit ad Concilium Conſtantienſe, cujus præſentia multis rebus foret perutilis, diſſimulata Flagellantium opinione. Propoſuit Gerſon publice in Concilio A. 1417. 18. Julii. quid cum hac ſecta faciendum, ac quomodo in viam reducenda. Ubi non ſine admiratione in Gerſoniano ſcripto animi moderationem, judicandi modeſtiam lenitatemq; obſervare licet. *Flagellantium ſectã in viam reducere ſtuduit.*

Finito Concilio ſpontaneum exilium ſubiit.

Rupto mox per Martinum V. Concilio Conſtantienſi A. 1418. ſuæ pietatis, ſui ardoris, ſui pro juſtitia zeli præmia conſecutus eſt pientisſimus Gerſon perpetuum *exilium*. Quod enim Johannis Parvi doctrinam, *Principes ac Reges tyrannos impune à quovis interficiendos eſſe*, animoſe tum in Gallia tum in Concilio generali Conſtantiæ oppugnaſſet, iram Burgundiæ Ducis cædis illius auctoris tantam in ſe concitaverat, ut à Concilio Conſtantienſi confecto, inſidiis ſibi à Burgundo undique poſitis animadverſis, in Galliam ad munus Academicum & Cancellarii functionem redire prudentia prohiberet.

In Germaniam fugit. In Bavaria egit.

Quare Concilio finito prope *ſexagenarius* ſponte exul *in Germaniam* confugit vir meritisſimus, anno integro fere per varios anfractus occulte repens. Primum in montana *Bavariæ* ſeceſſit. Ubi in oppido *Rathemberg* A. 1418. inſignem conſcripſit librum *De Conſolatione Theologiæ*, exemplo Boëtii proſa ligataque oratione exaratum, ſuperiorum in Concilio Conſtantienſi fatorum præſentiumque ac imminentium periculorum memor, animi ſui roborandi, ſolatioque divino fulciendi cauſa. Finxitque colloquium in hoc libello inter ſe vere *peregrinum* & exulem, & fratrem ſuum, Cœleſtinorum Monachorum Lugduni in Gallia Priorem, ad quem tandem ex Germania ſe recepit.

Adjecit & novum *Dialogum Apologeticum*, de moleſtisſimo negotio Johannis Parvi, in Conſtantienſi Concilio tractato. Quo & ſuam conſcientiam palam purgaret, ſeque pro veritate pugnaſſe intrepide moneret, adverſariorum artibus notatis.

A Duce Auſtriæ benigne exceptus.

Poſt in hoc *exilio* clementisſime exceptus à *Duce Auſtriæ*, *Viennæque* Academiæ Profeſſoribus junctus, beneficiisque ornatus. In cujus Ducis honorem ac laudem hoc carmen pepigit:

Mors miſeranda nimis te Francia diva fatigat,
Plus quam cujusvis vox reſonare queat.
Olim proſcriptos pro libertate tuenda
Proque fide paſſos mos relevare tuus.
Senſiſti, Thoma, propriis dum truſit ab oris
Anglia te ſanctum, ſenſit & Eccleſia.
Heu pietas, heu priſca fides! Coguntur alumni
Francigenæ mortes exiliumque pati.
Summe Deus, pro lege tua, quam ſub decachordo
Mentibus impreſſam ſcribis & in tabulis,
O quot theologi, quot Pontifices periere,
Carcere quos clauſos dira necat rabies!
Effugit altera pars, alienis incola terris,
Tutior *exilio*, ſed ſpoliata bonis.
Inter quos unus, qui *Cancellarius* almi
Pariſiis ſtudii eſt, *cedit*, & advena fit.
Auſtria tu felix, felix ſtudioſa *Vienna*,
Dux quibus eſt talis traditus in regimen.

Zelo

Zelo quæ fidei fervens, ob eam *fugitivo*
Huic, miserans, *offert ultro refrigerium:*
Assignatque locum cum libertate, suique
Patribus egregii commoda *collegii.*
Sis magis JESU merces, pro cujus honore
Doctorem recipit discipulumque tuum.
Gloria, laus & honor, Dux inclyte, te resonabunt,
Dum pietas terras sancta fidesque colent.

Tandem A. 1419. *Lugdunum Gallorum* (*k*), ad Archi-Episcopum sibi faventem, fratremque, Cœlestinorum Priorem (*l*), se recepit, apud quos in angello cum libello senex Christianissimus per decennium ad vitæ finem delitescere. Non ita tamen hæsit Lugduni, ut omnium conspectum fugeret. Quin sedatis paululum fluctibus Parisiensibus, *ad illustres aliosque viros doctos frequentes literas dedit*, à publicis interim muneribus prorsus abstinens. (*m*) Multis præ- *Lugdunum Gallorum elegit asylum ultimum.*

(*k*) De hac *Lugdunensi eremo Gersonis* Nostri scripsit frater ejus, Prior Cœnobii Cœlestinorum Lugduni A. 1423. mense Martii, cum ultra triennium ibi egisset Cancellarius: *Adversus pestiferas hæreses quantos latratus more fidelissimi & vigilantissimi canis ediderit, vel hæc sola res indicium est, quod veritatis tuendæ causa, domo, patria, civitate, cognatis, amicis, dignitatibus rebusque propriis privatus est, & ex illis propulsus, ac innumeris insidiis expetitus. Propterea refugium aliquod ad tempus coaptavit in hac præclara Lugdunensi civitate. In qua jam fere per quadriennium demoratus est, vitam quietissimam ducens & tam solitariam, ut unum ex eremicolis crederes, nisi quod deserti recessus nondum petiit, sed habitat in medio populi sui, mirantibus multis & inquirentibus: Quid hic agit tam solitarius? Cur ad publicum non procedit? Cur non it sedatum hominum jurgia, quæ tam acriter ubique debacchantur. Ad quid perditio hæc?*

(*l*) In quod dulce *fratrum consortium* lusit his versiculis Noster:

Se, Lugdune, tua fratres solantur in urbe,
Dum de quolibet est sermo frequens in eis.
Junior, & Senior: Hic Cœlestinus, & iste
Theologus. Plaudens Junior hæc loquitur:
Jun. Ecce bonum fratres & jucundum simul esse,
Idem quos uterus parque dies peperit.
Sen. Fraternalis amor cor nostrum nectet in unum,
Firmet & hoc unum gratia Christe tua.
Jun. Carne quidem frater, meritis pater atq; magister,
Sunt data quæ nobis otia grata vides.
Sen. Otia post diros conflictus atque procellas
Dat Deus, atque locat littore nos placido.
Jun. En fas est, vivas *pariter* dare, reddere voces:
Fert mens de studiis quærere multa tuis.
Sen. Quare vices reddam. Lenit fastidia sermo:
Est sua solamen garrula vox senibus. &c.

(*m*) *Ne putes*, inquit Frater ejus, Cœlestinorum Prior Lugduni, in epistola ad Oswaldum, *ipsum ita parietibus angustæ cellæ coarctari, ut foras egredi non liceat. Extendit sæpius dum licet affectiones in omnes fines terræ & in mari longe.*

Et

ſertim lacrymis deploravit his annis miſeram Academiæ Pariſienſis in ſeditione civili deſolationem, necatis viris doctis aut carceri incluſis. (*n*)

Negotioſum Gerſonis otium in exilio.

Non otio hic litavit, (*o*) ſed ab ordinaria profeſſione aut functione liber, atque à publicis illis curis immunis, colloquiis frequentibus doctorum, libris ſacris variisque ſcriptis antiquis ac recentibus legendis atque publice cenſendis, operam dedit.

Conſilia dedit.

In variis ancipitibus atque intricatis caſibus rogatus ſalubria *conſilia dedit*, variis vitæ negotiis & ambiguis fatis abunde exercitatus. Ut *de Eccleſiaſticorum cœlibatu*: *De moderanda Carthuſiana ſeveritate*, & ſimilibus.

Scripſit Lugduni libros.

Libris Theologicis ſcribendis, quibus vel *Scripturam explicaret*, vel certa doctrinæ momenta illuſtraret, tempus reliquum impen-

---

Et peragratis tantis regionibus ac conſpectis oculo rationis variis hominum ſtatibus, nunc proſperis nunc adverſis, coaptat animum unicuique prout exiguitas valet, omnibus omnia factus, modo per gratiarum actiones illis applaudendo, modo piis orationibus illos adjuvando, hos exhortando, illis compatiendo.

(*n*) Depinxit has Noſtri Gerſonis in iſto exilio lacrymas, ob publicam Academiæ & urbis Pariſiorum calamitatem Lugduni profuſas, Frater ejus, qui eas vidit: *Non crederes, quantis lacrymarum profluviis, ab intimo cordis proruentibus, defleat miſerabilem cladem, nunquam dignis planctibus adæquandam, præclariſſimi Franciæ regni, quod inteſtinis & civilibus bellis dirumpitur atrociter & vaſtatur, & præda hoſtibus patet. Quod quidem invictiſſimum perduraſſet, ſi concordiæ fœdus in eo manſiſſet illibatum. Ibi proh dolor tumultuatur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Illic vulgus indoctum, varios rectores ſequens, miſeram in vertiginem rotatur aſſidue. Gemit inſuper amariſſime cum altero Jeremia, videns contritionem populi ſui, & laborem & contradictionem in regali Pariſienſi civitate, quæ nuper erat urbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ. Talibus ſuſpiriis & ſingultibus tumidum cor exonerans, ſedet ſolitarius, & tacet, quoniam dies mali ſunt, & præſtolatur cum ſilentio ſalutare Dei, ſi forte ſit ſpes, ſi veniat tempus miſerendi ejus, & pulcra pax, longius effugata, redeat aliquando jucundior. Ob hoc juge ſacrificium noſtræ redemtionis in altari non ceſſat offerre, rogans in ſpiritu humilitatis & animo contrito, ut ſervis ſuis iterum propicietur Dominus, & populum ſuum continuis tribulationibus laborantem, benignus reſpirare concedat.*

(*o*) Negotioſum Gerſonis Cancellarii otium in iſto exilio Lugdunenſi quale fuerit per quadriennium, delineavit frater ejus Lugduni præſens, Cœleſtinorum Prior, A. 1423. *Sed quid agit, inquiunt? Multum omnino per omnem modum. Primo quidem intranti ad ſe in domum ſuam, præoccurrit illico lætà decoràque facie ſapientia, quam à juventute quæſivit ſibi ſponſam aſſumere. Ibi cum ea requieſcit & ſermocinatur tota die. Quæ ſi viderit eum vel ad modicum triſtem & anxium, non ceſſat blanditiis delinire, donec conſolatum relinquat. Non enim habet amaritudinem converſatio ejus, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Et poſt multa: *Non igitur putes illum datam quietem male exequi, & mero otio tota die torpeſcere. Quandoquidem nec ipſius diei decurſus interdum ſufficit ad explenda, quæ ſalubriter ſuggerit animus. Etiam nocti ſæpius detrahendum eſt, & intempeſta noctis hora, nunc prima, nunc ſecunda, nunc tertia vigilia noctis, nonnunquam media nocte ſurgendum, ad confitendum nomini Domini.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

impendit. *Astrologiam judiciariam* peculiaribus libris, Delphino, unico Regis Galliæ filio inscriptis, Lugduni A. 1419. docte impugnavit. Præcipue quod Delphinum à sciolis talismodi Astrologis titillari, prædictionibusque variis pertentari atque vexari cognovisset. *Astrologiæ judiciariæ inimicus.*

Superstitionum inimicus Gerson & hoc genus Lugduni scriptis improbavit, quo *dies* certi, præsertim *Innocentum* dicti, *per totum annum infausti habiti*, observati, atque à Calendariographis quoque signati. Inquisivit ea occasione in fontes mille superstitionum in Christiana plebe residuarum. Notat inter alia *libros Romanciorum*, Gallice illo jam tempore conscriptos, *quasi poëticos, de gestis militaribus, in quibus maxima pars fabulosa, magis ad ingerendum quandam novitatem & admirationem, quam veritatis cognitionem.* *Superstitionum hostis.* *Libros Romanciorum sprevit.*

Artem magicam quoque, indeque ortas fraudes abominatus, docto libello omnis generis deceptiones religiosas confutavit, adjecto publico programmate, in Academia Parisiensi A. 1418. d. 19. Sept. his etiam rebus opposito. *Artes magicas detestatus.*

Similis zelus Gersonis, qui A. 1428. 8. Dec. Lugduni eum excitavit, ut Medici cujusdam Montispessulani hypothesin ac morem *sculpendi in numismate figuram leonis cum certis characteribus pro curatione renum &c.* peculiari libello refelleret.

Impugnavit tunc etiam *Jacobum Angeli Medicum Montispessulanensem*, qui in negotiis suscipiendis, itineribus faciendis, certos dies mensium infelices dixerat, eosque vitandos. Quod quolibet die, anno, & hora diei, bona & mala contingant, ad timorem Dei fidemque quosvis potius invitavit Gerson.

Difficiles Ecclesiæ controversias, quas superiori vitæ tempore tractarat, uberius excussit atque curatius expendit.

Proximis ante mortem annis ac diebus divini amoris vim devotissime meditatus, in Magnificat & Canticum Canticorum fuse commentatus est. Quo de posteriori hoc est judicium Sixti Senensis in Bibloth. Sancta, lib. 4. *In Commentariis Gersonis in Canticum Canticorum, in extrema senectute sub finem vitæ editis, de quinquaginta proprietatibus divini amoris, toto passim Canticorum libro dispersis, tanta diligentia disseruit, ut huic uni omnes divini amoris affectus in numerato fuisse videantur.* *Devotissima meditatione senectutis.*

Uti animam Deo pie reddendam singulis meditabatur horis, ita & de rebus familiaribus externis, libellis præcipue, dein funeralibus adornandis, *testamentum condere* non intermisit. *Testamentum condidit.*

Quod itaque in hoc suo exilio, vel senectutis fessæ refugio, *apud Cælestinos* Lugduni tutum & tranquillum invenisset angulum, *Cælestinis*, inter quos duo quoque ejus fratres vixissent, gratiam relaturus, his Bibliotheculam suam in exilio residuam, in Cœnobio vel Collegio eorum *Avinioni* deponendam, *legavit*. Ita quidem, ne alienarentur libri hi, nec tamen sepelirentur, sed in peculiari armario spectandi sisterentur, usibus communibus expositi. Conditum hoc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

testamentum Lugduni A. 1428, *anno ætatis* ejus *sexagesimo quinto*, mense Novembri.

Singulare quoque est, quod Carthusienses enixe rogaverit, qui *suffragia* aut preces, quas *pro defuncto* essent dein oblaturi, *pro se vivo* adhuc, sed mox abituro, *anticipando offerre* ne didignaretur. Hoc fine, ut per amicorum preces impetraret, & vivere & mori se in gratia Dei.

Impetravit etiam à capitulo Ecclesiæ S. Pauli Lugduni A. 1428. d. 21. Octob. *anniversarium* panis & vini perpetuum, more solito annuatim per Capitulum in dicta Ecclesia faciendum, & celebrandum die 24. Dec. festo S. Nicasii Rhemensis Archi-Episcopi, quo natus & baptizatus erat.

Dum restarent ultimi aliqui vitæ dies, testamentorum condendorum memor, devota ac egregia conscripsit opuscula *de Testamentis pie condendis*, prosa æque ac ligata oratione, *suæ* præcipue *vitæ terminum* inter lacrymas pingens ac amplectens. Ut sine lacrymis lector vix intueri queat.

Ultimum ejus carmen apologeticum.

Nec destitit, ad extremum fere vitæ usque halitum, *sacra meditari* ac *scribere* utroque stilo. Ultimum *carmen*, quo dignam apologiam texeret suæ castissimæ poëseos, *duodecim diebus ante obitum* cecinit, audirique, cum breve sit, meretur:

Vidit livor edax ut mea carmina,
Despexit. Nitida veste carent, ait,
Nec pulchris facies picta coloribus:
Vox est rauca, sonans parum.
Ornatus varios si meretricula,
Nil virtutis habens, nec solidum bonum,
Quærit, quis stupor est? Sat, sibi si placet,
Fallax, alliciens procos.
Fucatos oculos hæc stibio gerit,
Comit cæsariem, lubrica conspici
Asvescit placitis, blanda, procax, vaga,
Quos prostituit enecat.
Ast matrona gravis, casta, pudicaque,
Cui nativus adest & color, & decus,
Ut prosit satagit, seria moribus,
Sponso quod placeat studet.
Totam composuit cincta modestia,
Cultum net proprium, nent famulæ simul
Linum, laniciem: Non petit extera,
Sollers artifica manu.
Non nequam, petulans, subdola, fractaque
Vox, sed suave sonat, cui rigidus tonus.
Vivax ex oculis cœlica lux micat,
Sancta prole beatior.
Frugi mensa sibi, splendida, sobria,
In qua psalterio rex David insonat

Hymnos

Hymnos, imparibus quos numeris ligat,
Metris carmen amicius.
Carmen tale cano, sit procul ethnica
Mendax Musa, strepat his, quibus est Venus
Aut Mars deliciæ, vanaque numina.
Noster solus amor JESUS. JESUS.

Triduo quoque *ante obitum* absolvit devotissimam in Canticum Canticorum commentationem, nempe 9. *Mensis Julii die sabbati*, *Anno* 1429. *Ultimum scriptum devotum.*

Proximo ante mortem die, hanc imminere cum persentisceret, puerulis in Ecclesiam adductis, pro se quotidie Deum orare jussisse, qui salvum faceret Gersonem, Wimphelingius memorat, qui sub finem seculi Gersoniani vixit, his verbis: *Retulerunt viri graves & fide dignissimi, dominum Johannem Gerson ante abitus sui diem in ea urbe, in qua tum habitabat,* (Lugduni) *multos collegisse puerulos, quorum tanquam præceptor erat, quos quotidie ante summam missam in templum adduxit, clausisque undique ostiis ipsum in medio eorum stantem jussisse, ut verbis Gallicis post sese in hunc loquerentur tenorem: Mon Dieu, mon createur, ayez pitié de vostre pauvre serviteur Jean Gerson,* h. e. *Deus meus, creator meus, miserere miseri tui famuli Johannis Gerson.* *Proximi ante obitum diei devotio.*

Obiit placidissime inter verba orationis religiosissimus Gerson, *Lugduni* 12. *mensis Julii*, *A.* 1429. anno ætatis suæ LXVI. *Obitus.*

Sepultus admodum honorifice *Lugduni* in Ecclesia S. Pauli. Quod ante obitum vivo jam polliciti Capitulares erant. *Sepultura*

Epitaphium, in circumferentia tumuli & in tabula juxta ejus insignia muro appensa scriptum, hoc fuit: *Monumentum.*

Magnum parva tenet virtutibus urna *Johannem*,
Præcelsum meritis, *Gerson* cognomine dictum.
Parisiis sacræ Professor Theologiæ
Claruit, Ecclesiæ qui Cancellarius. Anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit superos Julii duodena.

Insignia vel arma *Gersonis* memorata, in templo Lugdunensi juxta monumentum suspensa, non gentilitia fuere, à majoribus accepta, sed adoptitia, quæ in Concilio Constantiensi A. 1415, exemplo aliorum invitatus, sibi pro fortunæ suæ facie ipse formarat, arte Chalcographi in antiqua Argentinensi operum Gersonis editione Anni 1494. delineata. *Gersonem* seu *peregrinum* aut *advenam* se meminerat in hoc orbe, in quo hospes spectaret quid facerent alii, suamque personam virtutibus decoratam decenter ageret, mox brevem hanc migrationem, tanquam per somnium absoluturus. Dei amorem ejusque devotum in pectore cultum, optimum in hoc itinere viaticum esse, in maximis quas expertus erat fortunæ tempestatibus curate didicerat. Hinc ipsi nata insignia. In *scuto cor alatum & ignitum, cujus medio aureum T.* impressum, quo cor signatum, *in æthere sapphirino* positum, ita, ut *sol, luna & stellæ, cor* *Insignia.*

undi-

undique ambirent. Adjectus *viator*, qui *ſcutum ſiniſtra geſtaret*, brachio inclinatum, in cujus dextra *ſcipio*, ferrea cuſpide inferius munitus: Caput *pileo* tectum: Ab humero dextro verſus ſiniſtrum latus pendet *pera*, *pedesque calceati*, ſequente aut comitante *catello*. *Tobiam* uno nomine animo volvit Gerſon in itinere detentum, ab angelo ductum, & è variis periculis liberatum.

Scutum igitur voluit deſignare *cordis* in *fide*, ut in hac militia in præſenti vita ſibi *fidem* neceſſariam maxime ac gratam monſtraret, perpendens illud Jobi: Militia hominis eſt ſuper terram. *Cor alatum* amavit, quod cordis animique meditationes, cogitationes, affectusque in Deum & homines intenſiſſimi, præcipuum vitæ negotium eſſent. Maxime quod pro officio ſuo ſacro Theologico divina ubique meditatus, mente à terrenis avocata & ſurſum tanquam alis evecta. Unde cordis *ardor*, quod affectibus ardentiſſimis cor accenſum ſenſerit, mundi miſerias expertus, Deumque intuitus. Notanter verò cordi impreſſit *Tau*, collimans ad *ſignum*, quod Ezech. c. 9. illorum frontibus Hieroſolymis erat imprimendum, qui infandas populi Judaici abominationes deplorarent, publiceque emendari monerent. Horum ſane exemplo & Gerſon per omnem functionum ſuarum publicarum ambitum corruptionem Eccleſiæ palam nunciavit, deploravit, ac Reformationem Eccleſiæ in capite & in membris deſideravit. Cujus deſiderii ac voti teſtis immortalis eſt Concilium Conſtantienſe, in quo hanc Reformationem vehementiſſime urſit. *Æther ſapphirinus*, in quo hoc cor poſitum, cum ambientibus ſole luna & ſtellis, aureo colore radiantibus, refugium Gerſonis peregrinantis ultimum, cœleſtem nempe beatitudinem denunciare debuit, qui meditaretur ſemper, tanquam peregrinus aut advena, illud Pauli peregrini adhuc in terris: Noſtra converſatio in cœlis eſt. Quæ cœli meditatio, in cœleſtium quoque rerum aut ſacræ ſcripturæ continua meditatione atque varia explicatione erat poſita. Qui Interpretem Scripturæ pro ſua egiſſet profeſſione, ad varios uſus, allegorice, moraliter, anagogice applicando, ac ad modum fere ſolis & lunæ ſtellarumque aliarum clare ſiſtendo. (*p*) Peregrina-

(*p*) Complexus ipſe Gerſon hæc ſua inſignia metro, A. 1415. in Concilio Conſtantiæ, cum per 25. annos in Academia Pariſienſi varios honoris & adverſitatum gradus ſuſtinuiſſet.

Dic precor iſte quis eſt, qui carmina condidit iſta?
Gratia nomen ei, cognomen & *advena* fecit.
Eſſe *peregrinus* ſignis agnoſcitur aptis:
Caſſidolum dextro fartum dependet ab armo
Ad latus oppoſitum. Celſum caput *orbicularis*
Pileus obnubit, ſoles quo pellat & imbres
A vultu infeſtos. *Baculusque* teres regit artus,
Ferrea cui cuſpis. Munitur ſura *cothurno*.
Scutum leva gerit: Saphiro *cœlove ſereno*
Concolor. Hic auro *ſeptem* radiare *planetæ*
Inſpiceres. Medio *cor pennatum* velut *ignis*
Emicat.

grinationis suæ ubique memor. Quibus coloribus cum Gerson se velut ad vivum delineasset, omnino hoc *ejus insigne*, vel hæc *ejus imago* prope sepulchrale monumentum publice conspici Lugduni meruit.

Defuncto religiosissimo Gersono, lacrymas fudere, qui vivum noverant & audiverant, raram ac reconditam ejus eruditionem admirati. Præclaras ejus virtutes decantarunt docti.

Memoria viri meritissimi in laude erit, dum orbis erit. Integritate vitæ, sedulitate laboris, doctrinæ sinceritate, ingenii promptitudine, judicii rectitudine, scribendi facilitate, suæ ætatis viros doctissimos quosque longe superavit.

Monumenta, quæ reliquit, *literaria*, & numero permulta, & rerum tractatarum argumentorumve pondere gravissima, ossibus licet ejus dudum exesis & in pulverem redactis, vitam viri servant immortalem. Plura scripsit, quæ ipso adhuc vivo, plura, ipso defuncto quæ periere. Nullam ex scriptis gloriam aucupatus, quin, ut primo scripsit, officiorum tenore urgente, pleraque vel interire statim sivit, vel & præ modestia optavit (*q*), ætate & experientia meliora semper edoctus, veterum scripta suis præferens. Servata interim ab amicis (*r*) plurima, quæ vel publico Academiæ aut Regis *Monumenta literaria.*

Emicat. Et mox *Thau* rutilo sibi signat in auro,
Ægide protectus hac hostica tela retundit.
Nec caret *angelico duce*: Sed caro visibus obstat.
Sedulus hunc *catulus* ut Tobiam comitatur.
Gerson origo fuit. Dat *Cancellarius* almo
Lustris quinque gradus studio tibi Parisiorum.

(*q*) *Mallem*, scribit, *vel, quod nullus ambigit, malle deberem, studiosos viros dare se totos probatissimis præcedentium doctorum libris intelligendis, quam ipsos sterili ruditate opusculorum meorum tempus atterere. Neque enim famam meam more hominum loco prorsus inquietissimo jactare sic debeo: Neque opuscula mea ita velut proprios filios diligere, quemadmodum de Poëtis loquitur Aristoteles, quin æquo animo patiar nihilum gloria mea pro nihilo rejici, ubi gloria Dei vera & solida parcius augeretur. Augeretur autem parcius, si postpositis doctrinis salubrioribus meæ inutiliores occuparent aliorum ingenia.*

(*r*) Editorum à Gersono opusculorum quorundam causas ipse detexit, *Sentio*, inquiens, *quid mihi*, qui scripta mea extincta optem, ut antiquioribus ac melioribus detur locus, *possit opponere zelus vel fraternus vel lividus. Cur scil. ego vel aliquid scribo vel scripta non protinus lacero? Vel si ita scribere & servare propria utilitas exposcit, sicut exposcit; Cur ea ne foras prodeant, non intus occludo? Hoc ideò plane, quia contra domesticos talium rerum fures non fuit aliqua mihi satis fortis sera. Quoniam me prohibente clam fere omnia diriperentur incorrecta etiam & sparsa per minutas, qualia ego ipse vix relegens intelligerem, vel in unum compingerem. Quo magis ignosci peto & obtestor, si talia ab alienis incondite corrupteque habeantur, qualia utinam [quia neque copia penes autorem est, nec emendandi licentia] flamma vorax absumsisset, aut minutatim lacerata irent in oblivionis æternæ sepulcrum. Accedit adhæc sedulitas tum amicorum, tum quandoque æmulorum, flagitans per se & alios, usque ad molestum fastidium, ea quæ liberet amplius inclusa servari, digeri quoque, tum demum ea sic vel corrigere publicanda vel abolenda*

gis nomine in Gallia vel Conſtantienſi Concilio ediderat, vel ſenex Lugduni à curis liber conſignaverat.

Docendi genius. Eam in ſcribendo dicendoque regulam ubique ſectatus, ut *veritatem* quam *clariſſime* exponeret. Intricatum quærendi & res ſacras deſcribendi modum, illa etiam ætate in ſcholis receptiſſimum, ab aliquibus ſuperiorum ſeculorum doctoribus derivatum, fugit. Non neceſſariis ambagibus nunquam delectatus. Quare, pro ingenuitate pectoris ſui, Theologiæ in Academia Candidatos ore calamoque ſæpius hortatus eſt, abſtinerent à ſupervacuis Eccleſiæ haud profuturis ſtudiis ac quæſtionibus, ſobrie ſacris literis operam darent, Eccleſiæ commoda magis ſpectando, quàm vanam ingenii oſtentationem, qui nec ingenii vim æſtimaret tricas & ſub ſpecie ſubtilitatis inanes quæſtiunculas. De cetero ad ſolidam, gravem atque fructuoſam eruditionem, Eccleſiæ & reipublicæ profuturam, excitavit quoſcunque. (s)

Publico

abolenda damnare. Rurſum, quoniam ita ſe res habet, ut quorundam curioſitas adeo cupida ſit novorum, quamvis imparium valde veteribus, ut vel ex complacentia ſumendi nova, quemadmodum in cibo corporali evenit, vel ex inertia videndi vetera, proficiat eis lectio novellorum: Eligibilior utique erit profectus vel paucus in iſtis, quam nullus in illis. Tandem, quis neſciat, eſſe ſicut in faciebus ſic in animabus differentias innumeras? Et guſtum ſpiritualem ſicut & carnalem compertum eſt variari, ut quidem iſti ad nauſeam alteri ad ſalubrem nutritionem perveniat &c.

(s) Memorabiles hoc fine ſunt Gerſonis, Theologi Profeſſoris, monitiones, ſuæ Facultati propoſitæ: *In facultate Theologiæ videtur eſſe neceſſaria reformatio, ſuper ſequentibus inter cetera:* (1) *Ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles ſine fructu & ſoliditate. Quoniam per eas doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ & utiles deſeruntur. Neſciunt neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt, inquit Seneca.* (2) *Per eas non ſtudentes ſeducuntur, quia ſcil. putant, illos principaliter eſſe theologos, qui talibus ſe dent, ſpretis Bibliis & aliis doctoribus.* (3) *Per eas termini à patribus uſitati transmutantur, contra illud Auguſtini: Nobis ad certam regulam loqui fas eſt. Et non ſequitur velocior ſcientia alicujus corruptio, quam per hæc.* (4) *Per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur. Nam ideo appellantur Phantaſtici, & dicuntur nihil ſcire de ſolida veritate, & moralibus, & Bibliis.* (5) *Per eas viæ errorum multiplices aperiuntur. Quia enim loquuntur & fingunt ſibi ad placitum terminos, quos alii doctores & magiſtri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & abſurdiſſima, quæ ex ſuis abſurdis fictionibus dicunt ſequi.* (6) *Per ea Eccleſia & fides neque intus neque foris ædificatur. Conſtat, quod dent potius occaſiones credendi, quod Deus non ſit omnimode ſimplex aut unus, ſicut dicit Bradwardi.* (7) *Per eas multi ex Theologis tam active quam paſſive ſcandalizantur. Nam alii rudes vocantur ab aliis, & alii è contra curioſi aut phantaſtici. Tales nunc currunt propoſitiones ex talibus doctrinis: Infinitæ ſunt durationes in divinis, ſecundum prius & poſterius, quamvis æternæ: Et ita de menſura. Spiritus S. libere, contradictorie, contingenter producitur ex parte principii quo. In divinis eſt abſolute potentialitas ad non eſſe Spiritus S. Producere filium in divinis ut ſic nihil eſt. Spiritus S. prius eſt productus quam ſit ſumme perfectus. Pater & Spiritus S. non ſunt cognitio. Et Pater & Filius non ſunt amor. Filius in divinis poteſt alium filium producere, quia eſt eadem potentia cum patre. Ita de innumerabilibus aliis. Item à multis annis jam ſit maxima controverſia in materia de communicatione idiomatum, quam antiqui ſic reſtringunt ut dicant: Nullum prædicatum communicari*

Publico quæ scriberet nomine, vel Academiæ vel Regis ac totius Galliæ, sive in legationibus, sive in Conciliis Nationalibus ac universalibus, tantâ *prudentiâ* instruxit, ut circumspectius atque salubrius nihil illa ætate scribi posset. In *Consiliis* suppeditandis, quæ Ecclesiæ & reipublicæ tranquillitati inservirent, tam caute, tam moderate, tam humaniter, tam sollicite, sed & tam graviter se gessit, ut ejus nutus haberentur pro regulis, ejus consilia pro decretis, ejus dicta atque vota pro factis. Unde quoties ille auditus ejusque monita observata, felicissimus semper venit exitus. Consiliorum ejus neglectum damna secuta infinita atque proxima, nulla interdum arte emendanda. *Consiliorum Gersonianorum indoles præclara.*

Quam optandum verò, hæc ejus monumenta reliqua, illo seculo, haud longe ab ejus obitu inventâ arte typographica, statim edita, curatius fuissent impressa sicque integrius ad nos transmissa. Apparet enim, cum varie prius essent descripta, pro variorum describentium ingenio sæpe valde esse interpolata. *Fratris* quidem sui, *Johannis de Gerson, Cœlestinorum Lugdunensium Prioris*, curæ ante obitum commiserat noster, illa describenda atque conservanda. An autem ille alicubi pro suo arbitrio quædam mutaverit, an alii id & quo fine fecerint, incertum. Sane, si cum MSCtis ex illo seculo hodie adhuc superstitibus, conferantur illo seculo edita Gersoniana, magna sæpe observatur differentia. Ut optandum esset, MSCta Gersoniana in orbe Christiano reliqua solerti studio conquiri, cum impressis conferri, emendari ac restitui. Certe longe melior atque nitidior sæpe facies Gersonianis futura, quam hodie conspicitur. Quod vel ex uno exemplo, à nobis in hoc opere, de *Simonia*, exhibito, luculenter constabit.

De cetero, ut aliena *manu* superioribus candidus addatur calculus, lubet *antiquam* subjungere *Gersonis ideam* faciemq; venerabilem, post fata æternum duraturam. *Johannem de Gerson, Parisiensis quondam studii Cancellariium, si quis Doctorem Christianissimum vocet, is certe videbitur ejus merito ac dignitati non impertinens nomen indecentemve titulum attribuisse. Si enim autor Christiani nominis Christus finem & consum-* *Antiqua & pulchra Gersonis imago.*

cari Deo, quod dicat imperfectionem. Alii ampliantes dicunt: Omne prædicatum universaliter communicari, usque adeo, ut Deus possit dici damnatus. &c. Item monendi viderentur Magistri nostri, specialiter illi, qui dederunt occasionem, quatenus suos Baccalaureos & scholares monerent fugere aut dimittere vanissimas doctrinas, inutiles & steriles, nec approbando, nec morose aut curiose reprobando. Sicut jam Deo propitio Sophismata sunt expulsa à Theologia. Et ut materia secundi, tertii, & quarti Sententiarum magis tractarentur: (Quia vix legitur nisi primus:) Occupando tempus in præmissis doctrinis, & similiter Bibliis. Et ut libri prædictarum doctrinarum non legerentur ad partem sine licentia facultatis. Et pro honore Dei attendatur diligenter, quanta sit necessitas pro instructione populorum & pro resolutione materiarum moralium temporibus nostris. Et tunc credendum est, quod in tanta angustia temporis, & inter tot animarum pericula, non multum placere possit ludere, ne dicam phantasiari, circa ea quæ prorsus supervacua sunt. Videbitur etiam, quod non sit parvi ingenii aut rudis, tales materias elucidare & funditus perscrutari, &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

conſummationem legis ſuæ dilectionem conſtituit, ſi leve & ſacramentis paucis aſtrictum jugum poſteris ſuis impoſuit, ſi Pharisaicum illud paternarum traditionum onus à ſuorum humeris excusſit: Quis obſecro inter doctores legis hujus Chriſtiani agnominationem juſtius ſortietur Johanne de Gerſon? Qui operoſa & pia induſtria per omnem ætatem in literis ſacris verſatus, omne ſtudium in id contulit, ei ſoli operam impendit, ut Chriſtianis, qui ſuccedentibus ſubinde multiplicatisque peccatis hominum, ac innumera vivendi varietate propoſita, inextricabili ferme conſcientiæ labyrinto circumerrare viderentur, & egrediendi ex hoc calle nutum faceret, & planam, ſecuram ac regiam dilectionis Chriſtianæ viam, quænam eſſet, luculentisſime demonſtraret. Plane, ſi quis forte dubitantior de hoc fuerit, huic nulla probatio certius perſuadebit, ut, quæ præmiſſa ſunt, credat, quam ſi ſæpe & attente leget, quæ plurima poſt ſe reliquit Cancellarius ingenii ac doctrinæ ſuæ monumenta. Inveniet etenim non hærentem in curioſis ambagibus, non in vana ſubtilium oſtentatione ſollicitum, neque affectatione exquiſitæ novitatis turgentem, ſed his inſiſtentem tantummodo, quæ cognitu neceſſaria, & opere ſalubria in priſcis doctoribus deprehendebat. Quæ profecto ad uſum noſtrorum temporum, & ad mores, in quibus Chriſtiana verſatur reſpublica, tam ſcite applicuit & accommodavit, ut nihil clarius, nihil certius homines noſtri legere poſſint, per quod ab hac miſeria, perplexitate, tum in multis aliis, tum præſertim in varietate legum humanarum, quæ nunc obligantes, nunc abolitæ aſſeruntur, nonnunquam vertuntur in dubium, ſeſe tuto doceantur evolvere. Unde factum eſt, ut qui ſoli utilitati proximi ſcribendo ſtuderet, nulla affectione privata alicujus è doctoribus, qui eum præceſſerant, ſingulariter duceretur. Quamvis enim ex his, qui celebres erant, neminem ignoraverit, eorum tamen, quos non reſpuit Eccleſia, nec aliquem usquequaquam refutavit, nec cuiquam ſeſe ubilibet obnoxium conſtituit imitatorem, ſed veluti apis argumentoſa ſingulorum depaſtus dulcorem, quem ex eo potisſime ſapiebat, ſi quid naturalem aut divinam legem ſincerius redolebat, favum perſpicuum, ordinatisſimum ſvaviſſimumque contexebat. Longe profecto alienus ab eorum ſenſu, qui doctorem favore probant, & quibus non tam perſpecta veritas, quam ejusdem profeſſionis conjunctio ſectandi alicujus neceſſitatem imponit. Nec quidem in Scholaſtica Theologia. In myſtica vero, quæ ita eſt Chriſtianorum, ut autore Dionyſio ſolis ſit Chriſtianis conceſſa, quantus fuerit Johannes de Gerſon, quam clarus, quam copioſus, quam juſte Chriſtiani agnomen promeruerit, ex ſcriptis ejus adverti manifeſtisſime poteſt. Studioſe ſiquidem curavit, quemadmodum de ſe ipſo pluribus in locis teſtatur, Theologiam myſticam cum ſcholaſtica concordare. Vel, quod oſtenderet, ſcholaſticis doctrinis illam non eſſe adverſam, vel quod omnes, qui crudis ſolummodo ſpeculationibus Deum inveſtigant, ad experimentalem ejus guſtum invitaret, ad quem ſcilicet tanquam ad margaritam pretioſam, & futuræ beatitudinis prælibationem omnes Chriſtianæ perfectionis avidos anhelare docebat, eo certe efficacius, quo & ipſe non modo doctus verbo, ſed & uſu peritus in ea re fuerat.

Niſi

Niſi enim guſtaſſet, quam ſvavis eſt Dominus, nunquam tale aliquid, quod melius percipi quam dici poteſt, tam dilucide, tam ſignate tamque copioſe declarare potuiſſet. Nec mirum ſane. Nam ut de vita quoque ſua nonnihil afferatur, ab ineunte ætate per parentes ad Dei amorem allectus extitit, quos ipſos pietate in Deum non mediocri arſiſſe, indicio ſunt liberi fere omnes Deo dicati. Mox traditus bonis artibus in Pariſienſi Gymnaſio ita ſe exercuit, ut proficiente cum tempore peritia & integritate, omnium illic Theologiam profitentium tempore ſuo longe eminentiſſimus haberetur & eſſet. Singularis profecto gloria, viciſſe Pariſienſes in eo, in quo ipſi cæteris ſtudiis omnibus præſtitiſſent. Verum multo laus amplior, & immenſum fere præconium ejus ab his conſurgit, quorum adhuc ne meminimus quidem. Quæ quia illuſtriorem dicendi ornatum depoſcunt, aliis & alio loco duximus reſervanda. Quis enim brevibus complecti poſſet accuratiſſimam prudentiam, laborem fortiſſimum, modeſtiſſima conſilia, ferventiſſimum zelum, quem indefeſſus adhibuit pro ſedando & uniendo illo turbulentiſſimo ſchiſmate, quo ætas illa quatiebatur? Quis legationes ejus mira gravitate & peritia obitas ſatis digne commemorare poſſet, quas pro Francorum Rege, Eccleſia Gallicana, & univerſitate Pariſienſi, tum plerumque alias, tum præcipue apud celeberrimum illud Chriſtiani populi generale Concilium Conſtantienſe gnaviter adminiſtravit. Illic etenim diligentia incredibili, ſaniſſima doctrina & vehementiſſima vi dicendi, quibus Patres monuit, confirmavit, & quid facto opus eſſet, apertiſſime monſtravit, tantum effecit pro communi pacis, quæ à tota Chriſtiana republica exulabat, reconciliatione, ut non minus neceſſarius fuiſſe videatur illi ſuæ calamitoſæ tempeſtati, quam olim glorioſiſſimus doctor Auguſtinus, civitati ſuæ Pelagianorum hæreſi contaminatæ. Extant & tractatus & orationes ejus in eam rem plurimæ, quo minus neceſſe ſit adducere multa ad hæc comprobanda. Quare ſilentio prætereantur reliqua, ſi uno verbo perſvaſum fuerit, Johannem de Gerſon evidentiſſimo intuitu veritatem perſpexiſſe, & non minori conſtantia ac fortitudine perſpecta tutatum fuiſſe. Ad eam ſiquidem ſenſuum puritatem & ſimplificationem cordis devenerat, ut velut è ſereno pacatoque aëre deſpicere & contueri valeret omnia, quæ ſub ſe turbida paſſionis & ignorantiæ nube obducta in cæteris agebantur. Itaque expeditiſſimus & reſolutiſſimus erat in vero cognoſcendo. In defendendo autem quam firmus, quam imperterritus fuerit, vel hoc unum argumento nobis ſit, quod poſt graviſſimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatum fidei, & præceptorum Dei coram ſacroſancto concilio certaverat, Principis etiam potentiſſimi odium non veritus, velut alter Chryſoſtomus aut Athanaſius, ipſum tandem exilium moleſtiſſimum perpeti non detrectarit. O virum vere Chriſtianum! O temporum noſtrorum perditiſſimorum ſingulare ſidus! Tu eam, quam à ſe pellunt cæteri, veritatem etiam in exilio perquiris. Tu te ipſum injuria & contemtu mavis affici quam veritatem. Tu vere ſecundum nomen tuum laudem tibi paras.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Gerſon enim advenam ſignificat. Tu ipſius Chriſti, qui, ut veritati teſtimonium daret, nullum tormentorum genus expavit, cum re & facto fueris imitator, cur non merito tuo maximo ejus cognominationem adipiſcaris? Quamobrem honorentur doctores alii, quisque epitheto ſuo. Dicatur hic ſanctus, ille Seraphicus, magnus iſte, irrefragabilis alter: Subtilis, ſolennis, illuminatus, vel quicquid tale pro merito ſuo quisque vocitetur. Juſte quidem & bene. Sunt etenim. Liceat obſecro Johannem quoque de Gerſon non fraudari laude ſua. Liceat, Chriſtianus Doctor appelletur. Is, cujus primo doctrina ad Chriſti meras traditiones omnem noſtram aſſertionem contendit metiri. Cujus deinde ſtudium primariæ Chriſti operationi, propter quam in mundum venerat, teſtimonio ſcilicet veritatis, intenſiſſime fuit addictum. Cujus poſtremo vitæ concluſio tanta anagogicæ & verè Chriſtianæ contemplationis dulcedine & amore flagravit, ut velut cygnus modulato canticorum carmine mortem ſuſcipiens, in felicem familiam Chriſti, quem docuerat, pro quo certaverat, & quem totis viſceribus deſideraverat, non immerito in æterna beatitudine receptus eſſe credatur.

HER-

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

GERSONIS, VIRI ex prisco ævo ILLUSTRIS, faciem quod sollicitius pinxerimus, & pectus quod apertius denudaverimus, factum desiderio seculi illius plenius cognoscendi. Sane Gerson motuum maximorum in Ecclesia & Republica illa ætate & spectator extitit perpetuus, & curator fidelissimus. Ut GERSONIS VITA & omnem ist-hanc à capite ad calcem comprehendat ambiguam difficilemque Ecclesiæ fortunam, & remedia quævis, publicis illis malis opposita. Neque sane, si ab Imperatore Sigismundo recedas, quisquam in Concilio Constantiensi & illustriora facinora edidit & salubriora consilia suggessit, quam hic Cancellarius Gerson. Ut merito anima Concilii illius universalis appelletur. Qua de causa plenam Concilii Constantiensis historiam, quoad fontes & finem eventumque, nemo sibi paraverit, nisi qui cuncta GERSONIS monumenta probe & curate pervolverit. Optandumque esset, Christianissimi hujus atque ingeniosissimi Gersonis opera & emendatiora ex MSCtis ederentur aliquando, & ordini rebus atq; fatis temporumque intervallis magis congruo rectius accommodata. Interea Viri acutissimi atque apertissimi frontem, ex qua velut in compendio pectoris penetralia & temporis illius fata cognoscantur, tenui penicillo delineasse suffecerit. Vale, optime Lector, ac virtutem Gersonis serio æmulare, fataque Gersonis patienter expecta.

Nervo-

Nervosum
Hoc Opusculum
De Simonia refrenanda
scriptum
ab
Illustri Gersone
Parisiensi Cancellario
in Celeberrimo Concilio Constantiensi
A. M cccc XVI.
IMPERATORE SIGISMUNDO.
Editum
Coloniæ A. M. cccc. xxciv.
Argentinæ A. M. cccc xciv.
FRIDERICO & MAXIMILIANO
CÆSARIBUS.
Restauratum
ex antiquo MSCto Norimbergensi
Helmstadii in Academia Julia
A. M. dc xcvi
Mense Junio
IMPERATORE
LEOPOLDO
Semper Augusto
Priscæ virtutis
Protectore Felicissimo.
Cujus Augustissimum
Natalem LVII.
diem ix hujus mensis
lucidissimum sæpius
redire jubeat
Deus T. O. M.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf